



Mosheim s: Joh: L. aur: s diff. de Cireles in  
Christi, Helmst. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / diff.  
de Coelo Beatorum, Tübinge  
1722

Reudenij s: Ambro: / theses de  
Symbolo Apostolico, jene  
1589

diff. de Geo ac Tribus  
personis, jene 1589.

DISSERTATIO THEOLOGICA IN AVGVRALIS  
DE

# ARMATVRA SPIRITVALI

EX EPIST. AD EPHES. CAP. VI. VERS. X. ET SEQ.

QVAM

A V S P I C I O D I V I N O

EX DECRETO VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI  
IN ILLVSTRI ACADEMIA JVLIA

P R A E S I D E

S V M M E V E N E R A B I L I V I R O

## DN. JO. ANDREA SCHMIDT

ABBATE MARIEVALLensi

S. THEOL. DOCTORE EJVSQVE ORDINARIO  
PROFESSORE ORDINIS SVI SENIORE ET HODIE  
DECANO

P R O L I C E N T I A

GRADVM ET PRIVILEGIA DOCTORIS THEOLOGI

RITE CONSEQUENDI

AD DISPVVTANDVM P. P.

IN MAGNO THEOLOGORVM AUDITORIO

A. D. XV. DECEMBR. A. MDCCI,

HORIS MATVTINIS ET POMERIDIANIS

## CHRISTOPHORVS HENRICVS

## R ITMEIER

GR. L. PROF. PVBL. ORD.

as(o) de

HELMSTADII,

---

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO THEOLOGICA IN VACANCIA

DE

# ARMATI SPRACHA

EX EPISTOLA PREDICATIONIS CARMI VITÆ ET TESTIMONI

ONIA

VASCIGIO DIVINO

EX DECERTO ANGRVIANI CONCILII THEOLOGI

IN THERESA KARDINALIA KIRCH

SCHEID

CAROLUS VASCO VASCONIA

# DNI ANDREAS SCHMIDT

ANASTASIA MAGDEBVRGENSIS

ET THEORI DOCUMENTARIE LITERARIA ORDINARIA

PROLOGO DEDICATIO A SPLENDORE ET MODO

SCENICO

PRO LEGENTIA

GRADUM ET PRIVILEGIUM THEOLOGI

KITE COZONCI

AD HISTORIAS CIVILIA

LAURENTIUS VASCONIA

A DIZA PROLOGO VASCONIA

HISTORIAS CIVILIA

# CHRISTOPHORVS HENRICVS

RITMIFER

GRATIANVS PARIS ORB

(o) 11

MANUSCRITVS

TYPUS GEORGVS VOGELIANVS HANVS





עמִי

§. I.

**A**D pacem & quietem vocati sunt omnes  
qui Christo nomen dederunt. Sicuti  
enim ipse est Rex pacis, Heb. VII, 2.<sup>1cs.</sup>  
**A** qui pace facta omnia Deo reconciliavit,  
Col. I, 20. ita etiam suis largitur pacem,  
Joh. XIV, 27. eosque tanquam filios pacis Luc. X, 6.  
pacificos cupit. Math. V, 9. Gaudent fideles pace  
spirituali sancta & beata, quam ut *περιπέχσας πάντα* ἔχει  
Apostolus describit Phil. IV, 7. cujus participes red-  
duntur simulac per fidem cum DEO reconciliati vi-  
vunt. Est enim primus justificationis fructus, do-  
cente Paulo ad Rom, V, 1. *Justificati ex fide pacem ha-  
bemus apud Deum.* Nec solum pax illa est *περιπέχσας πάντα*  
in accessu ad Deum, sed comitatur quoque eandem  
amicitia cum omnibus DEI amicis, sanctis & beatis  
Angelis Heb. XII, 22. Pace autem cum Deo facta ne-  
que hominum, neque malignorum spirituum, neque  
ulla creaturarum hostilitas saluti fidelium obesse aut  
nocere valet. Rom. VIII, 35. &seqq.

A

§. 2.

Militia  
christianæ  
necessitas.

Neque vero hi in pace amicitia cum hostibus DEI diabolo & mundo vivere possunt: quin potius eorum insultibus tum maxime solent infestari, quando pacem cum DEO fideliter student colere. Nisi ergo hac pace ejusque bonis privari velint, perpetuo opus est certamine, ut sarta tecta eadem conserventur. Quemadmodum enim reipubl. conservandæ utile sæpen numero ac necessarium est bellum, quoniam dicente Aristotele VII. Polit. c. 15. τέλος ἡμέρην μὲν πολέμου, finis belli pax est; &, ut habetur apud Æmilium Probum in Epamin: paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent: ita etiam fidelibus, nisi præsidium pacis (φεγγάν ad Philipp. IV, 7.) eripi sibi velint, nunquam non vigilandum, resistendum, pugnandum, vincendum. Urgent periculum tantum & militiae christianæ necessitatem sacræ paginæ frequentissime, &, postquam denunciatio hujus belli, & primordia inimicitiae inter semen mulieris & serpentem in ipso Paradiſo cœperunt, classicum quasi illasque belli voces perpetuo ingeminant: *Ad arma! ad arma!* Vox belli in terra! igitur præparate scutum & clypeum, & procedite ad bellum, state in galeis, polite lanceas & induite vos loricis: Jerem. L, 22. XLVI, 22. Simili ratione atrocibus verbis, ut B. Chemnitius ait, Loc. Theol. de Ang. p. m. 143. Paulus Ephesios alloquitur Cap. VI. 10. & seqq. Ubi non solum excitat hortaturque christianos milites ad fortem pugnam, sed & arma monstrat, illisque eos quasi induit & instruit. Quandoqui-



doquidem vero ex hoc loco *armaturam christiano-rum militum* paucis contemplari instituimus, ipsum dominum pacis principem & summum armorum arbitrum in partes vocamus, ut potenti ejus virtute ex alto succincti, stare adversus hostes saluti nostræ inimicos, eos vincere & cuncta digne confidere valeamus.

Ante vero quam armis christianos milites induit Apostolus, animos eorum intus confirmat & excitat *¶. 10.* cum ait, ἵνα πάντες εἴη κυρίος. Ponderosissimo hic utitur verbo, quod notat animum sumere, omnes mentis & corporis vires intendere, & magis ac magis invalescere. Quomodo de Abrahamo dicitur, quando is in spe fidei contra spem rationis militans omnesque tentationes superans, incrementum & fortius robur fidei sensit Rom. IV, 20. Nec non de Paulo in Actis Apostol. IX. 22. cum Damasci statim post conversionem suam adversus Judæos majore indies cum successu doceret & magis subinde invalesceret: μᾶλλον ἵνα πάντες εἴη. Hoc verbum sicuti frequens est Paulo, ita non solum Ephesiorum episcopum Timotheum exhortaturus scribit *¶. 2. Ep. II. 1.* sed & hoc loco Ephesiis christianis omnibus & singulis *¶. 2. Ep. II. 1.*

Quo ipso subjectum simul de quo ipsi sermo est exprimit, scilicet, quos *fratrum* nomine compellat, vere regenitos intelligit; quales erant in Ephesiorum urbe, qui ab impietate ethnica ad christianismum per-



duci dūvāμiv divinam in opere conversionis suæ abunde jam experti erant, & fide remissionem peccatorum non minus quam media viresque sufficientes ad sanctificationem & perseverantium in statu gratiæ imperaverant. Erant enim ēv Kuglō, poterant s̄nā & c̄līs̄nā, fortiter stare & viriliter resistere. Non infantes sed adulti erant in Christo: quos neutquam cedere hostibus, sed contra audientes ire & alacriter decertare oportebat. Hos ergo in assiduo usu & exercitio virium spiritualium pridem collatarum majora semper incrementa capere & fortius robur acquirere jubet.

## §. 5.

Quæ quidem exhortatio Apostoli ex ardenter profecta tanto est gravior, quo majore cum periculo diu multumque in convertendis Ephesiis laboraverat. Erat Ephesiorum civitas florentissima, situ imprimis nobilis, alterum lumen minoris Asie ut Plinius ait lib. V. c. 19. Emporium eorum, quæ sunt intra Taurum maximum, ceu memorat Strabo lib. XIV. Celebre ibi idolum & templum Dianæ; cuius splendorem autor ille plenius describit lib. XXXVI. cap. 14. Et non idolatriæ solum sed & magiæ dedita, ceu cognosci potest ex Act. Apostol. Cap. XIX. v. 19. conf. B. D. G. Calixti expos. literal. in Proœm. Maximus ibi semper hominum confluxus ob mercaturæ & navigationis commoditatem. Qui enim ex Syria aut Ægypto in Græciam navigabant, vel ex Asia minori Romam tendebant & vicissim, illac transibant: sicuti ipse Apostolus in Macedoniam vel Græciam proficiscens

Ephesio-  
rum civitas.



\* (5) \*

ficiens aut inde rediens aliquoties eo venit. Opportunissima ergo ubi multos doceret ac converteret, & unde porro lumen evangelii longe lateque per orbem terrarum spargeretur. Docuit itaque Paulus hac in urbe per tres menses Act. XIX, 8. **E**t in schola Tyranni cuiusdam per biennium, ita ut omnes, qui hababant in Asia cum Judaei tum Graeci, audierint sermonem Domini IESU. Hinc ipse affirmat Ephesi ostium sibi apertum esse magnum **E**t operosum, 2. Cor. XVI, 8. Quare etiam ibi per integrum triennium non cessavit die **E**t nocte publice **E**t domatim unumquemque hortari cum obtestationibus **E**t lacrymis. Act. XX, 31.

§. 6.

Quæ ergo causæ Apostolum moverunt ut tamdiu tantaque cum cura & solicitudine ibi doceret; eadem postea, cum Romæ in vinculis & morti vicinus esset, eum impulerunt, ut per literas quoque Ephesios instrueret, iisque seriam hanc exhortationem ad fortitudinem spiritualem, & constantem lucram fideique certamen ultimo loco subneceteret. Quod eo magis necessarium erat, quo gravius periculum ipsis imminebat, non solum propter illecebras multis & luxum in opulenta hac urbe regnantem, gentiliumque turpitudinem; sed & ne exemplo vicinorum Galatarum ab impostoribus & Satanæ Apostolis seducerentur. Quemadmodum enim ipsos a lupis, ex suo ipsorum medio prodituris, infestatum iri presbyteris Ephesiorum cum Miletum venisset, prædixerat, & idcirco ut vigilent ac animos ad semetipcos & totum gregem intendant hortatus fuerat Act. XX. 28. seqq.

Seductio-  
nis pericu-  
lum.

A 3

ita



\* (6) \*

ita etiam extitisse ibi istiusmodi seductores & turbatores apparet, cum ex tota hac epistola imprimis cap. IV. 14. tum ex epistola priore ad Timotheum episcopum Ephesiorum.

§. 7.

In tot tantisque periculis ut ad fortitudinem spiritualem & constantem pugnam adversus diabolum omnis mali autorem animos eorum accenderet, naturam & potentiam hostis illius digne ipsis oculos ponit. Quemadmodum enim periti duces in bello inferendo vel sustinendo, non facilitate victoriae & contemtu hostium milites solum cohortari solent, sed saepe etiam justa periculi reputatione, quod sine victoria non licet effugere: ita hoc loco Apostolus idem instituit, & omnes qui summi Imperatoris nostri castra sequuntur etiam atque etiam meditari jubet, hostium cum quibus lucta subeunda indolem, calliditatem, malitiam, numerum & potentiam. Apparet autem ex integro contextu hic non directe denotari visibles ecclesiæ hostes, infideles vel haereticos, sed illum qui horum malorum autor est & causa efficiens, quem suo nomine appellat Διάβολον. De quo ut furioso & hominibus infensissimo hoste vox illa in Apocalypsi c. XII, 12. *Vae incolis terræ & maris; nam descendit ad vos Diabolus ira magna plenus.* Dicitur is καὶ ἔχοντος adversarius noster I, Pet. V, 8. *Adversarius ille vester, ut leo rugiens obambulat querens quem devoret.*

§. 8.

Hostis illius infernalis astutia & calliditas in eo cerni-

Hostis  
calliditas,



cernitur ; quod suas μεθόδειας adhibere norit , certas agendi vias & rationes. Occurrit vox illa etiam cap. IV. §. 14. ἐν παραγγίᾳ τοῖς τὴν μεθόδειαν τῆς πλάνης. Ubi H. Grotius in MS. legit τοῖς τὴν μεθόδειαν τῆς πλάνης Εὐαγγέλιον. Hæc enim methodus autorem agnoscit diabolum , utpote qui artem seducendi docet homines. Vocat autem μεθόδειαν Εὐαγγέλιον h. l. Apostolus insultus , stratagemata & insidias Satanæ. Quemadmodum enim certis legibus & certo ordine utitur in regno suo tenebrarum , quod absque illo si esset , affirmante Christo Luc. XI. 18. consistere neutiquam posset : ita in proferendis ejus limitibus , in pugna adversus regnum lucis , varias technas & versutias adhibet. Proprium ipsi est μεθόδειον . Quæ vox Græcis scripturarum interpretibus respondet Heb. ἔγραψεν & non obtristare modo & calumniari significat , sed & insidias struere ut 2. Sam. XIX. 27. μεθώδεσσεν ἐν τῷ δέλτῳ τοῦ τεκνού μετὰ τῶν βασιλέων. Ita Oecumenius in Cap. VI. ad Ephes. fol. 5. 8. τοῖς μεθόδειας h. e. adversus assultus ; adversus occultas fraudes , adversus insidias , adversus dolos. Et Chrysostomus in h. l. Homil. XXII. p. 879. Μεθόδειοι est decipere & compendia via ac ratione capere ac superare : quod quidem sit & in artibus & in orationibus , & in factis , & in lucta cum iis , qui nos seducunt. Idem Homil. IV. in Gen. Multæ sunt , ait , Diaboli μεθόδεια id est viae , rationes , quibus decipere conatur securos. Novit Diabolus , inquit Leo M. serm. 7. de Natal. Dom. cit. Corn. à Lap. ad h. l. cui adhibeat astus cupiditatis , cui illecebras gulæ ingerat , cui apponat incitamenta luxuria , cui infundat virus

\* ( 8 ) \*

virus invidiae, novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi querit causas nocendi, ubiunque widerit studiosius occupari.

§. 9.

Eiusdem  
malitia.

Porro extremam cacodæmonis malitiam inuit, quod luctam fidelibus suscipiendam dicat Apostolus v. 12. τοὺς τὰ πνεύματα τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἀπεργοῖς. In expositione horum verborum plerique hæc ita reddentem sequuntur Syrum interpretem ♫ Λόγος Διαβόλος? Τὸν δὲ λόγον τοῦ διαβόλου & abstractum hic mutant in concretum, quando πνευματικὰ Ἰησοῦς πονηρίας reddunt spiritus malitiosissimos. Sed verborum immutatione hic opus haud erit, si meminerimus dari spiritualem malitiam in cœlestibus, in rebus divinis, in negotio salutis, abusum quendam donorum gratiæ, à quo periculum est regenitus, nisi in simplicitate fidei & vera humilitate se contineant. Hanc vero πονηρίαν efficit ipse ὁ πονηρός. Hujus est opus, hunc agnoscit autorem. Quo major illa sanctitas & justitia, in qua creatus fuit, tanto atrocior in ejus locum successit malitia; ita ut ex malignis illis spiritibus aliis alio nunc sit πονηρός. Quamobrem μέντοι ὁ Σατανᾶς πονηρός καὶ ἔχοντι λέγεται, solus Satanas malus dicitur, Chrysostom. Hom. XV. ad pop. Antioch. Inde pleraque diaboli epitheta & synonyma priscis ecclesiæ doctoribus usitata. Sic à Clem. Alexand. in Protrept. p. 6. vocatur πονηρὸν Ἱησοῦς maligna bellua. A Nysseno Tract. II, in Psal. p. 363. βασιλεὺς τῆς κακίας, rex malitiæ



*malitiae: & Orat. IV. contra Eunom. p. 593. ὁ τῆς κακίας  
ἐνεργός, malitia inventus, item Orat. in Steph. p. 354. πονη-  
τὴς διάταλος τῆς αἰθεωπίνης γῶνης, malignus vitæ humanae  
adversarius. Ab Ignatio in Ep. ad Phil. πάνταν  
πονητῶν πιθμάτων πονητέρους ἐκ πανούσιας πνεύμα. Omnibus  
malignis spiritibus, ob malitiam, malignior spiritus. A  
Greg. Nazianzeno Orat. XXVIII. p. 474. οὐφισής κακίας,  
Peritus malitiae artifex. &c.*

## §. 10.

Potentiam hostis longe maximam ostendit Apo- Hostium  
stolus ꝑ. 12. quando illum per periphrasim Hebræis potentia.  
familiarem negative primum describit: *non esse ludam  
nobis*, inquiens, *cum carne & sanguine*. Notum est  
בָּשָׂר וְדָם σαρκὸς καὶ αἷμα, hominem significare, carne  
& sanguine constantem. Unde Siracid. XIV, 15. *ψυχὴ*  
*σαρκὸς καὶ αἷματος* natio carnis & sanguinis, *genus huma-  
num* vocatur. Inprimis vero hæc loquendi formula  
connotat fragilitatem & imbecillitatem humanæ na-  
turæ, in oppositione ad Deum & naturas spirituales.  
Sic בָּשָׂר וְדָם Rex terrenus Hebræis frequenter  
dicitur. Negat proinde Apostolus pugnam hic esse  
contra imbecilles mortales & miserios homunciones;  
sed contra hostes hominibus potentiores, ipsos nim-  
rum cacodæmones, adversus eum qui vocatur  
princeps potens ὁ ἵξυεց Matth. XII, 29. *fortis arma-  
tus* Luc. XI, 21. *princeps cui est potestas aëris* Eph. II, 2, 3.  
ὁ ἄρχων ἡς κόσμου ἡς Joh. XIV, 30. *dēta bujus seculi.*  
2. Cor. IV, 4. Præterea vero potens dicitur diabolus  
intuitu ingentis sui exercitus & copiarum quas tan-  
quam ordinataim aciem adversus Christi populum  
B erigit.



erigit. Hinc adeo pathetice in plurali numero loquitur Apostolus, περὶ τὰς αἰχάς, περὶ τὰς ἐξυσίας, περὶ τὰς κοσμουεγένες &c. Qui distinctos dæmonum ordines, quos hic & alibi haud obscure memorat Scriptura S., penitus scrutari velit, aut cum Pseudo-Dionysio Areopagita & Scholasticis nonnullis temeritatem suam prodere, aut ignorantiam profiteri cogetur. Videatur autem Apostolus hic totum infernalem exercitum cum ducibus suis, capitaneis & primariis administris in plena acie nobis voluisse ob oculos ponere. De quo  
 „egregie Flacius ad h.l. Tribuit eis, inquit, nomina  
 „à principibus humanis sumta, quibus indicatur,  
 „quanta sit vis ac potentia istorum hostium, quo  
 „tanto magis ad flagitandum robur ex alto & ad vi-  
 „gilandum instigemur. Sermo ferme talis est, ac si  
 „dux quispiam excitans suos ad fortissimam pu-  
 „gnam, diceret: certamen illis fore, non cum ca-  
 „lonibus ac lixis, non etiam cum tyronibus aut gre-  
 „gariis militibus, sed cum fortissimis veteranis, imo  
 „cum meritis centurionibus & tribunis, cumque præ-  
 „stantissimis ducibus, invictisque heroibus.

## §. II.

Panopliae necessarius usus. Formidabilis hæc infernalis hostis cum extrema malitia & calliditate conjuncta potentia necessitatem imponit christianis militibus, ut de armis idoneis sibi prospiciant, quibus hostiles impetus, s. vi s. dolis ille utatur, sustinere queant. Propterea jubet Apostolus assumere & induere πΑΝΟΠΛΙΑΝ ΘΕΟΤ. Induite, ait armaturam DEI, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum: quæ



quæ verba sunt S. Bern. Serm. III. in Dedic. Eccl.  
 πανοπλία talis ipsi Deo tribuitur Sap. V. 18. seqq. Oc-  
 currit etiam vox illa in Græco apud Jobum Cap.  
 XXXIX. y. 20. & 2. Sam. II. y. 21. Significare autem  
 quicquid ad armandum in pugnam militem spectat,  
 omnia simul arma, quæ ad virum pertinent, vult  
 Erasmus, adducitq; Ambrosium & Cyprianum qui il-  
 lam reddunt *uniuersitatem armorū, tota arma*. Nec non  
 E. Smidius h.l. talet armaturam intelligit, quæ omnes  
 partes corporis a capite ad calcem tegit ac munit.  
 Sicut enim Christianus miles undiquaque ob sideratur  
 & impugnatur; ita etiam ne qua parte nudus, sed un-  
 diquaque probe armatus sit oportet. Observat au-  
 tem doctissimus J. Clericus hanc vocem ex usu ve-  
 teribus significare *gravem armaturam*, qua instruti  
 fuerunt apud Romanos legionarii, apud Macedonas  
 qui in phalange erant, & ὥπλιται dicebantur, cum *le-  
 vis armatura* vocata sit arcus & funda, qui que his  
 utebantur funditores & sagittarii, *levis armaturæ* mi-  
 lites. Exempla hujus phraseos affert Lambertus Bos  
 in Diatrib. Philol. p. 125. Herodian. II. 23. ΑΝΑΛΑΒΟΝΤΕΣ  
 ἀντες ΠΑΝΟΠΛΙΑΣ — ὡς, εἰ δέοι, πολεμήσουτες. *Indumentes igi-  
 tur gravem armaturam* — ut, si res posceret, dimicæ-  
 rent: ubi mox αὐτίδωρ & δοργάτων, clypeorum & basilarum  
 mentio fit. Et Lucian. Gymnas pag. 291. η τὰς ΠΑΝΟ-  
 ΠΛΙΑΣ ἔκπινες ΑΝΑΛΗΨΕΣΘΕ. &c. Ut ita mens sit Apo-  
 stoli, in hac pugna non per *levem armaturam* res con-  
 fici posse: sed *gravi armatura*, ad ingens prælium,  
 contra formidolosissimos hostes, accigi oportere.  
 Quæ vero in sequentibus commemorat arma, his si-



milia fere legimus apud Homerum Iliad. v. in Paride & Menelao, ad μονομάχια se accingentibus. Nec non apud Virgilium, qui πανοπλίαν Ἀηνεᾶ lib. II X, ita describit:

*Miratur g̃, interg̃ manus & brachia versat  
Terribilem cr̃fis galeam flamasq; vorasentem,  
Fatis ferumq; ensem, loricam ex aere rigentem &c.  
Tum leues ocreas eledro, auroq; recodo,  
Hastamq; & clypei non enarrabile textum.*

§. 12.

Vocat autem Paulus hanc armaturam πανοπλίας Θεο̄ & addit nomen Dei, epitheti loco pro *divina*. Modus loquendi Hebræis familiaris perhibetur, ut omne, quod summum est & excellens, adjuncto nomine Dei exprimant. R. D. Kimchi ad I. Sam. XXVI. scribit חָבֵר שְׁרוֹצָה לְהַגְּרִילוֹ סָמֵךְ אֲתָנוֹ לְאַלְהָיָה Et in Psal. LXV. esse hoc cognomen rei maxime & admirabilis : אלְהָיָה חֹזֶה כִּינוֹ לְרַבְּ חַנּוּן וְהַפְּנִילָה De quo legatur B. Lutherus noster in Genes. cap. XXX. fol. 453. & in Cap. XIII. fol. 172. Exempla quoque plurima vid. apud Sal. Glassium in Gramm. S. lib. III. Tract. I, p. 63. Quando vero Paulus armaturam DEI dicit, autorem ejus & causam efficientem ostendit, unde arma ista spiritualia petenda & obtinenda. Solenne est scriptoribus ethnicis, poetis in primis, milites primarios à Diis suis armis induotos in bellum deducere, ut Virgilius Aeneam, Achillem Homerūs &c. Apostolus nos deducit ad patrem luminum, à quo arma lucis, justitia, veritas, fides & reliqua Spiritus dona superne descendunt & nobis adveniunt in Christo.

Alias



Alias brevius loquendo hanc armaturam Dei complectitur phrasis ista *Christum induere*. Ita quod Rom. XIII. 12. dixerat εἰς τὸν ἄπλοτον φωνής, mox versu seq. 14. reddit, εἰδίουθε τὸν κύριον ιησοῦ χριστόν. Notanda cum primis, inquit doctiss. Gatakerus, utpote insignis maxime phrasis illa, qua *Christum induere* dicimus. Si quis christiani definitionem a me poscat, ei ego nullam ista promptius darem, χριστιανός δὲν ὁ τὸν χειρὸν εἰδούσανθρώπος. *Christianus* is est, qui *Christum induit*. — *Christum ergo induunt vere christiani* quicq; à Deo sibi vel imputatum vel impertitum. *Imputatum, adjustificationem, impertitum, ad sanctificationem.* — Et induere virtutes; est eas palam exercere & exercere, ut innotescat ista omnia eis inesse. vid. Gatack. Advers. Misc. l. i. c. 9. p. 224. ubi hanc phrasin prolixe & egregie illustrat. Virtutes illas christianas Paulus hoc loco Ephesiis instar armorum commendat, ad repellendos & superrandos hostium spiritualium impetus. In quorum consideratione etsi subtiliter nimis inquirendum haud arbitremur, cur virtutes quasdam cum hoc armorum genere potius conferat, quam cum alio; poterunt tamen singula nobis medium terminum & ansam ulterius meditandi suppeditare: ideoque operæ pretium erit, si eas ordine paucis nunc expendamus.

## §. 13.

In panoplia hac Paulina primo loco occurrit *Bal-*  
*theus veritatis* ψ. 14. Στῆτε δὲ τῷ πεπονιμένῳ τὴν ὀσφῦν ὑμῶν Veritatis.  
 ἀλλαγεια. Vocant Græci γάνω medium corporis par-  
 tem quæ cingitur, teste Hesych: γάνω τὸν τὸν γαστέρα  
 B 3

Baltheus  
Veritatis.

πίστης



περθητική ὁ τόπος ὃν ζωνώμεθα. Usitate vero ipsae fasciae quibus lumbi religabantur ζώναι, ζωσῆς, ζώματα, πελέγεα & πελέματα dicuntur. Latinis *Zone*, *cingula*, *cinctus*, *lora*, *balthei* &c. Quin & interdum per synecdochen universam armaturam veteres iis significarunt, ut Deut. XXIII, 13. *arma*, Græci interpretes ζώναι & Vulg. *baltbeum* reddunt. conf. Job. XXXVIII, 3. Es. V, 27. Docet hoc Pausan. in Boëot.: τὰ ὄπλα ἔκαλεν αἴγα εἰ πλαστοὶ ζώναδαι. *Ipsum* vero *arma induere veteres cingere* dixerunt. Hinc Es. IIIX, 9. *accingere* idem est ac *armari*. Quo sensu etiam Latinis scriptoribus *accingi* & *discingi* usitatissimum novimus.

## §. 14.

Gestabantur vero zone non unum in finem. Orientales potissimum iis utebantur, ne longæ, fluxæ & laciniæ ipsorum vestes impedimento essent. Vestimentis enim adstrictis, ad itinera, ad militaria & alia omnia opera erant expeditiores. Hinc ιὐγοι antiquis vocabantur strenui, alacres & expediti. Sicuti enim *contra iaxius cincti* & *discincti*, ignavi & molles. Viatorum hunc fuisse habitum, ut lumbos succingarent, exemplo Israelitarum patet, qui exitum parantes ex Ægypto accincti agnum comedere jussi sunt Exod. XII, ii. & Apostolorum, Matth. X, 9. Marc. VI, 8. Talis Pauli zona fuit Act. XXI, ii. Cum primis vero proprium militum insigne erat baltheus, unde eorum gladius pendebat. Isid. l. XIX. *Baltheus* dicitur non solum quo cingimur, sed etiam à quo arma dependent. Nemo olim in numerum militum recipiebatur, antequam

quam cingeretur & ita inauguraretur, ut appareat ex  
l. pen. de Milit. testam. in P. Hinc Martialis lib. XIV.  
Epigr. 32.

*Militiae decus hoc, Egrati nomen honoris,  
Arma tribunitium cingere digna latus.*

## §. 15.

Sicuti vero zonæ gestatio auctoritatem, potesta-  
tem & honorem, præsertim militarem, denotabat, ita  
zona privari & discingi pena valde ignominiosa  
credebatur, vid. Sveton. in Aug. c. XXIV. Jul. Fron-  
tin. Stratag. l. IV. c. I. Barn. Brisson. Antiquit. lib. II.  
c. VII. & Rosin. Antiq. Rom. lib. X. c. III. Ultero solve-  
bant zonam & ponebant, militia qui abire volebant  
vid. l. 2. C. ubi de ratiocin. Ethnici Imperatores illis  
qui christianæ fidei abnegationem detrectabant,  
zonam afferre & omnibus dignitaribus eos exuere  
solebant: quod testatur Euseb. H. E. l. VII. c. 14. l. X.  
c. 8, item lib. I. de Vita Constantini Cap. XLVII. Ni-  
ceph. H. E. lib. VII. cap. 44. Et de Juliano Ruffinus H.  
E. lib. I. c. 32: *Militiae cingulum non dari nisi immo-  
lantibus jubet.* Quidam vero fidem abnegare recu-  
fantes, cingulum ultero abjecerunt, & tyrannis illud  
objecerunt, atque honores pristinos sive militares  
sive palatinos exuerunt; quod διαρρίπτειν, διαλιγεθαι ζώλω  
& διοζώνυμοι vocant Græci. Quâ de re exempla insi-  
gnia produnt Historiæ Eccl. monumenta. vid. Socrat.  
H. E. l. III. Cap. 13. lib. IV. c. I. Basil. Orat. in Gor-  
dium Martyr. p. 519.

## §. 16.

Cæterum & ornamento olim singulari militibus erant balthei, ideoque varie illos exornare auro, argento & gemmis, & ut poterant pretiosissimos sibi comparare studebant. Hinc Virgilius Æneid. ult. de Pallant.

— — — Humero cum apparuit alto  
Baltbeus, & notis fulserunt cingula bullis.

Et Claudianus de rapt. Prof. I. 2.

Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis,  
Regales junctura sinus.

Ad hujusmodi zonas alluditur in Apocalypsi Cap. I. 13. ubi Christus apparet ἐν εὐστρέψει τοῦ λαβαρίου, præcinctus zona aurea ad denotandam regiam ejus majestatem: & cap. XV. 6. Angeli tanquam Dei administrari, gloria & potentia prædicti, ἐν εὐστρέψει τοῦ σιδηρού λαβαρίου, præcincti circa pectora zonis aureis. Sicuti vero honori & ornamento cumprimis erat baltheus, ita quoque usibus militum erat accommodatus. Argentum quippe & nummos in cingulis istis abscondere & secum ferre solebant. Unde lex militaris ab Aureliano lata: Miles stipendium in baltbeo gestet. Hinc etiam in proverbiali locutione pro pecunia per metonymiam sumitur: ut apud Horatium, qui zonam perdidit & Plautum in Pœnul. zonam non habes. Et C. Grachus apud Gellium Noct. Attic. lib. XVIII. c. 12. dicit: Zonas quas plenas argento extuli, eas ex provincia inanes retuli. Nec minus ex mandato Christi liquet, zonam huic usui dicatam fuisse, cum discipulis

discipulis suis dicit: *Ne afferbate aurum, negat argentum:  
negat æs in zonis vestris.* Matth. X, 9. Marc. VI, 8.

Quæ de more militari modo observata sunt, aptissime accommodari poterunt ad hoc præceptum Apostoli, quo ad illud Esaiæ XI, 5. alluditur: *Erit justitia cingulum lumborum ipsius.* Quando vero Paulus hic ait *succindi lumbis veritate,* Petrus eundem in modum loquitur I. Ep. I, 13. & addit insuper mentem, *succindi lumbis mentis vestrae.* Menti enim seu animo hominis quæ insunt facultates nobilissimæ, intellectus & voluntas ante omnia baltheo isto veritatis cingi oportet. Veritas autem in Scriptura S. plura significata habet, ut egregie monstrat Flacius in Clave S. Cum primis huc pertinet illa significatio, qua frequenter per veritatem primæva illa imaginis divinæ integritas denotatur. Ita cum Christus ait Joh. II, 44. *Satanam in veritate non stetisse* i. e. exponente Flac., *cio in Cl. in imaginis Dei inditæ & vera illa naturæ bonitate.* Nec tantum ipse non persistit in veritate, sed etiam alios secum traxit ex veritate in mendacium, i. e. ex fidelitate Dei ad infidelitatem, ex vera sententia ac celebratione Dei in contraria mendacia, ex vera ac solida imagine Dei in imaginem diabolique, & denique effecit, ut tum falsa doctrina, tum & omnis generis scelerá, fraudes & mendacia, orbem terrarum oppleverint.

Quemadmodum enim ratio formalis omnis veritatis, in cogitatis, dictis, factis, rebus deniq; ipsis consistit



sistit in conformitate aliqua ; ita integritas illa & si  
 militudo Dei, in qua primus homo conditus est, maxi-  
 „ me emphatico vocabulo dicitur VERITAS, tanquam  
 „ origo justitiae & sanctitatis. Nam imago Dei nihil  
 „ aliud est quam veritas : conformitas illa mentis &  
 „ voluntatis humanae cum divina: quae verba sunt Ven.  
 D. Breithaupt, Inst. Cred. p.25. Hæc veritas per lapsum  
 amissa in Christo & per Christum rursus datur, qui ideo  
 tanquam vera Patris imago & veritatis recuperator atq;  
 instaurator, se veritatem vocat Joh. XIV,6. Ego sum via.  
**VERITAS & vita.** Quod ipse præmonstret, (ut iterum  
 Flacium interpretem hic producam) veram doctrinam,  
 aut rationem agnoscendi Patris, & det tales vires ac fa-  
 cultates cordi nosq; potenter spiritu suo trahat ad patrem.  
 De hac veritate locutus erat Apostolus Cap. IV, 21.24.  
 cum Ephesios spiritu mentis assidue renovari jubet,  
 atq; indui novo illo homine, qui secundum Deum crea-  
 tus est εν οντι με της ΑΛΗΘΕΙΑΣ — Siquidem noverant &  
 in Christo edociti erant, quemadmodum est **VERITAS**  
 in IEsu. Hanc veritatem qui penes se instaurare stu-  
 dent & veras virtutes sectantur ποιει την αληθειαν facere  
 veritatem dicuntur I. Joh. I, 6. E contra naturæ cor-  
 ruptæ & peccatis indulgentes ποιει ψευδον facere men-  
 dacium. Apoc. XXI, 27. XII, 15. Ad veritatem illam  
 pervenerant Ephesi, & imaginis divinæ instauratio-  
 nem, honorumque spiritualium efficaciam, senserant,  
 postquam per **verbum veritatis** c. I. ¶. 13. regeniti,  
 & à pristinis erroribus ac gentilismi turpitudine ad  
 verum Deum conversi erant. In hac ergo eos per-  
 sistere jubet Apostolus, & veram ac orthodoxam doctri-  
 nam, verum cultum Dei, constanter retinere.

§.19. Ita-



Iraque inde haud difficulter colligimus, quam apte veritas cum militari baltheo comparari queat. Veteribus ~~z~~ ~~z~~ idem saepe est ac ~~in~~ diligenter, & ~~en~~ dicitur, ad certamen & prælium, ad iter & quodvis negotium expeditus atque paratus. Ut militibus talis baltheus summe necessarius erat, ita multo magis de eo sibi prospicere debent christiani.

*Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat,*  
 Prudent. peristeph. Hymn. I. illumque sollicite custodire, ne discincti aliqua ex parte aut dissoluti, ne remissi, incurii aut negligentes evadant, & hostibus adiutum concedant, latusque apertum præbeant. Simulac autem veritas illa, ex verbi divini & Spiritus S. operatione, apud animum instauratur, munit illa intellectum adversus errores & quasvis corruptelas; integrum servat voluntatem, omnesque facultates hominis, ut is in simplicitate & sinceritate 2. Cor. II, 12. in veritate & integro corde, coram Deo ambulet Es. XXXIX, 3. εν οσωπη της αληθειας Eph. IV, 14. ut Deum in spiritu & veritate adoret Joh. IV, 23. & typum veritatis cœlestis referat, in quem traditusest. Rom. VI, 17.

Porro sicuti baltheus universo corpori non emolumento solum & munimento, sed & singulari ornamento erat, atque gestatio ejus aspicientibus pulcherrima visu: ita nullus fidelibus splendidior ornatus coram Deo, angelis & hominibus quam veritas. Qui quidem ubi illo habitu instructi & ornati sunt, exsplendescunt continuo reliquæ virtutum spi-

ritualium gemmæ. Quarum catalogum & quam pulchre inter se connectantur Petrus monstrat 2. Ep. cap. I. ¶. 5. 6. 7. cum ait: *adjicite fidei vestre virtutem, virtuti cognitionem, cognitioni temperantiam, temperantiae pietatem, pietati fraternum amorem, fraterno amori charitatem.* Hic ornatus Domino dignus, facit ut ei per omnia placeant Col. I, 9. Hic ubi conspicuus fuerit, cum in ecclesiis integris, tum in fidelibus singulis, nihil magis oblectamento piis esse potest, nihil aspectu jucundius. Quemadmodum D. Johannes testatur ad electam dominam. Ep. II, 4. *Gavisus sum valde quoniam inveni de filiis tuis qui in veritate ambulant.* Et ad Gajum Ep. III. 4. *Majus non habeo gaudium, quam ut inveniam filios meos in veritate ambulare.*

## §. 21.

Præter ornatum commodo quoque & usui olim militibus erat balthei gestatio, quando nummos in eo recondebant, & divitiarum suarum exinde faciebant receptaculum. Divites censendi sunt quam maxime qui veritatem possident, qui in Deo sunt divites Luc. XII, 21. *Novi, inquit Christus ad episcopum Smyrenensem, paupertatem tuam, sed dives es.* Apoc. II, 9. non aliunde scilicet quam ob constans orthodoxæ & veritatis studium. Haec sunt τὰ ἀληθινά, vera bona, quæ Christus transitoriis mundi opibus & mammonæ opponit Luc. XVI, 11. manent enim & sequuntur fideles in futuram vitam Apoc. XIV, 13. Impii thesaurum accumulant iræ divinæ in diem judicii Rom. II, 5. ast qui veritatem colunt & custodiunt, bonum thesaurum sibi



sibi congerunt in futurum, ut apprehendant æternam  
illam vitam. I. Tim. VI, 19.

§. 22.

VERITAS illa ex Deo oriunda arctissimum & <sup>Thorax</sup> indivulsum nexum habet cum JUSTITIA, utpote justitiae. quæ hujus est origo eandemque continuo parit. Ut merito dixeris veritatem esse instar lucis, justitiam instar caloris cœlestis. Quare etiam Apostolus *baltbeo veritatis statim subjungit thoracem justitiae*, v. 14. *καὶ ἐνθάδι μόνοι τὸν Ἱωάννα τῆς δικαιού-ησις*. Thorace pectus præcipue & præcordia muniebant milites, unde Græcis παρδιοφύλαξ, Latinis *peditorale* vocatur. Frequens ejus fit mentio apud Homerum ut Iliad. III. v. 332. *Ἰωάννα τῷ σῆμασιν ἔιδυτεν*. Consciebatur autem ex ferreis vel æreis laminis, quæ pectori, non dorso simul integumento erant. Hanc quippe decere militem fortē credebant armatram, qui fortiter stare in pugna, nec terga hosti obvertere decrevisset. Hujusmodi thoraces Alexandrum M. militibus suis dedisse memorat Polyænus lib. IV. Strat. in Alex. §. 13. *ut si manerent securitatem ac munitionem haberent, anterioribus partibus occultatis: si fugissent, aversa hostibus nuda paterent.* Itaque nemo fugam capessere voluit, metuens ne tergum hostibus nudaret. Alias plerumque duplex erat lorica, ex duabus laminis, fibulis ad latera conjunctis, quæ & pectus & dorsum obtegebant. Dicitur quoque priscis lorica *squamæa* vel *squamata*, quia in modum squamarum pisces confecta & concatenata erat, unde Silius lib. V. *arma Flaminii* describens

C 3

*Loricam*

\* (22) \*

Loricam induitur tortos huic nexilis hamos  
Ferro squama rudi, permistog asperat auro.  
& Virgilius lib. XI. Aeneid.

— — Rutulum thoraca indutus, aenis  
Horrebat squamis.

§. 23.

Quandoquidem vero non piscium modo squamis, sed & avium plumis quodammodo similis erat, ita ut alia aliam supergrederetur, ut squama squamam, & in alatis pluma plumam: hinc factum, ut laminæ illæ etiam *pluma* dici consueverint. Statius lib. XI.

— — ensem germani in corpore pressit,

Qua male jam plumis imus tegit inguina venter.

Hujusmodi lorica squamata gigantem Philistæum armatum fuisse legimus I. Sam. XVII, 5. Galea chalybea super caput ejus, & lorica squamata erat indutus, cuius loricae pondus erat quinque mille siclorum è chalibœ. In Heb. dicitur שְׁרוּן קָשָׂר quod Græci interpres reddiderunt οὐέρκα ἀλισθωτός: Chaldæus convenit autem קָלְבֵּן cum קָלְפֵּן quæ vox Syris & Chaldæis frequenter squamam significat, unde etiam Rabbinis שְׁרוּן קָלְפֵּן, lorica squamata. Eandem originem habere vocem Clibanariorum docet Bochartus in Phaleg lib. III. cap. XIII. pag. 216. seqq. De quibus Ammianus lib. XVI. Sparsique cataphractarii equites, quos clibanarios dicunt Perse, thoracum muniti tegminibus & limbis ferreis cincti. Conferri hic merentur quæ Bochartus l. c. ad illustrationem loci Ezech. XXXIX, 4, affert de לבושי מִכְלָרֶת, (indutas perfectissime ut Jun. vertit) quod Græci reddiderunt κρεδυμάρις πέργανας, indutos loriciis. Tabibus



libus nimirum quæ à collo usque ad genua pertin-  
gebant, ubi s̄ m̄ s̄ēva p̄c̄r̄v̄ c̄l̄l̄ à n̄ḡ ōm̄a n̄ c̄l̄l̄ ām̄  
tēḡp̄ḡn̄s̄u, ut habetur in Heliodor. Hist. Æthiop. lib. IX.  
Cærerum de loricis eorumque formis & varia ma-  
teria, linea, cornea, coriacea, ferrea, ænea, vid. Lips.  
de Mil. Rom. lib. III. Dial. VII. Lyd. Synt. de re Mil. lib.  
III. c. 5. Joh. Phil. Pfeifferus in Antiq. Græc. Gentil. lib.  
III. cap. XXI.

## §. 24.

Armaturæ huic firmissimæ, qualis fuit lorica, Apo-  
stolus fidem & charitatem I. Thess. V. 8. & hoc in loco  
justitiam quam optime assimilat. Intelligimus vero  
hic non solum justitiam fidei, gratuitam illam seu im-  
putatam, qua ex merito Christi remissionem pecca-  
torum, Deumque propitium & faventem habemus:  
sed præcipue illi innitentem legalem, inchoatam,  
quam personalem dicimus: quæque, (ut in scholis lo-  
quimur) tum inhærentem sive habitualem, tum actua-  
lem sive justitiam operum complectitur. Quemad-  
modum ergo thorax pectori, cordi & reliquis partibus  
vitalibus munimentum præstat; ita thorace justitiae  
gaudent & tuti sunt, qui bonæ conscientiæ & incul-  
patæ vitæ indesinenter student, qui firmo proposito  
constantique conatu normam legis divinæ observant.  
Hæc sunt arma justitiae à dextris & finistris 2. Cor.  
VI, 7. Hæc muniunt & tuentur adversus tenta-  
tiones gravissimas. Inde conscientiæ tranquillitas  
& serenitas constat. Nam si cor nostrum nos non con-  
demnet, libertatem loquendi habemus apud Deum. I. Joh.  
III, 21. Et dicere possumus exultat anima mea in Deo  
meo,

meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento  
iustitiae induit me. Et. LXI, 10. Nec aliis eget armis  
præsidioque integer virtus scelerisque purus, quibus  
calumniatorum mordacissimas & venenatas sagittas re-  
tundat & invalidas reddat. Afflictissimus Jobus amico-  
rum suorum opprobriis opponebat thoracem iustitiae  
dicens : *Iustitiam meam retineo, neq; deseram eam, non  
abjeciet animus meus unquam* Cap. XXVII, 6. Etsi vero  
haec iustitia adversus peccati reatum non valeat, & Deo  
iræque divinæ opponi neutquam possit; ingenti ta-  
men est solatio & gaudium cordi affert, etiam in ho-  
ra mortis, teste Salomone in Proverb. cap. X, 2.XIV,  
32. *Nil proderunt thesauri impietatis. Iustitia vero li-  
berabit a morte. In malitia sua expelletur impius, spe-  
rat autem justus in morte sua.*

## §. 25.

Ocreæ e-  
vangelicae  
præparati-  
onis.

In panoplia tertio loco ponit Apostolus ocreas  
scalceamenta militaria, §. 15. καὶ τοῦτο σάλπιγκας πόδας  
ἐστιν εἰπεῖν ἡ ιανέλια τῆς ἐρήνης. Calceos Græci δὲ &  
χωρεῖσθαι à subligando τοῦτο ματαξεῖ nominarunt, quod lo-  
ris constringebantur & plantis pedum subnectebantur.  
Referuntur autem inter arma, quod milites illis care-  
re non poterant, ad firmandum pedem & gressum,  
præsertim ubi per vias asperas & loca uliginosa ince-  
dendum erat. Ad eo majorem firmitatem calceis il-  
lis militaribus clavis suppingebantur, ceu memorat Jo-  
sephus de Bello Jūd. lib. VII, cap. III. *Calceos habens,*  
*creberrimis atq; acutis clavis, ut ceteri solent milites,*  
*fixos.* Quos interdum aureos fuisse narrat Valer.  
Max, lib. IX. pag. 762, de exercitu Antiochi, qui ex in-  
genti

genti luxu aureos clavos crepidis subiectos habuit. Calceamenti militaris genus erant κυνήδες, ita dictum δῶντῆς κυνίους, quod tibiis obtegendi esset accommodatum. De quo vid. Jul. Pollux l. 2. Onomaſt. c. IV. n. 39. & Eustath. ad Iliad. A. ὁ τε εργάζεται σπλον σκέπον τὸν οἵματίς σώματος. θύρα, ὅποι καὶ κυνήδες τοσκέπον τὰς κυνήδας τὴν σημωτήν, αφ' ἣ εὐκυνήδες αχαῖοι, διό μέρες οἱ ἔνοπλοι. Sicut thorax seu lorica, armatura est, qua tegit τὸν munit tibias militum, unde Græci bene ocreati ditti, intelligendo totum pro parte, bene ac pulchre armati. Similiter ocreæ latinis à cruribus tegendis dicuntur. Isid. Hispal. lib. XIX. Orig. cap. 34. Ocreæ tibialia calceamenta sunt, dicta quod crura tegant. Et Varro de Ling. Lat. l. IV. n. 24. Ocrea, quod opponebatur ob crus.

## §. 26.

Erant autem ex ferro vel chalybe confecta tibialia ista seu ocreæ militares. Unde apud Homerum passim dicuntur Græci χαλκοκυνήδες αχαῖοι ut Iliad. H. exponente Hesychio οἵς σιδεροὶ κύνει ἢ χαλκοὶ αἱ κυνήδες; quibus ferreae erant aut æreæ tibiae. Et Livius lib. I. de militibus primæ classis: arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære. Tales erant Goliathi I. Sam. XVI. 6. Interdum etiam argento hanc in rem usi sunt, ut liquet ex Virg. Æneid. VII,

*Aut leves ocreas lento ducunt argento.*

Apud Romanos vero tantum primarum classium militibus hoc armaturæ genus in usu erat, reliquorum utpote viliorum calceamenta vocabantur caligæ, unde

D caligati



*caligati milites* i. e. gregarii dicuntur in I. 2. D. de iis  
qui not. infam. & l. a caligato 21. C. de Nupt.

§. 27. ac tri DOPP. pag. 27

Cæterum ex ferro quoque ocreas istas fuisse con-  
fectas docet Vegetius lib. I. c. XX. *Pedites scuta-  
ti etiam ferreas ocreas cogebantur in dextris cruribus  
accipere.* Ubi quidem unius cruris ocreati, & quidem  
dextri mentionem facit. Alii autores idem tribuunt  
sinistro ut Juvenal. sat. 6.

— — — *crurisque sinistri*  
*Dimidium tegmen.*

Sciendum enim variasse in eo milites, ac sua libertate  
atque commoditate usos esse; prout nempe vel dex-  
trum vel sinistrum pedem inter pugnandum profer-  
re assueti erant. Hinc alii dextrum, alii sinistrum,  
alii utrumque crus tibiali indutum habuere. Et ne  
hoc genus armaturæ nimis molestum & grave mili-  
tibus esset, nonnisi dimidium pedem munire solebant,  
quoniam partem superiorem clypeo obtegere po-  
terant.

§. 28.

Quæ cum ita sint non possumus non dissentire à  
Jacob Lydio, qui in Agonist. sacr. Cap. XI. pag. 40.  
Paulum non tam ad militum quam ad cursorum ex  
athletis calceos, quos ~~cæleguidas~~ vocarunt, respicere  
existimat. Observat enim & probat Cl. Lomeier in  
Not. ad calcem novissimæ edit. hujus operis subjectis,  
pag. 172. rem longe aliter se habere. Neque enim  
hoc conveniens foret cum usu calceamentorum apud  
veteres, utpote quæ impedimento potius erant, &  
quasi



quasi vincula pedum, sine calceis vero currentes magis expediti fuerunt, celeres, prompti & agiles. Deinde non vult Apostolus cursorem instruere ad celeritatem, sed militem christianum ad pugnam statariam. Ideoque in armatura illa Dei ἐπιμασίας εὐαγγελίας τῆς εἰρήνης ad hoc vult inservire, ut possit σῆμα, & αποτῆμα τῇ ἀπωλείᾳ κατέχασθαι τῆνας, stare adversus artes diaboli, resistere in die malo, & omnibus peractis stare. Cum itaque stare jubeat, non currere, quomodo à cursoribus similitudinem sumisset?

## §. 29.

Nec minus à genuina significatione vocis ἐπιμάσιος alienam esse Lydii expositionem vult Dn. Lomeier l.c. pag. 174. ita scribens: Ea cum apud scriptores N. T. sit ἄπαξ λεγούμενη, ex aliis locis ejus significatio indagari non potest, sed apud Græcos V. T. interpres in usu est frequentiori. Horum exemplo igitur eam sumvit Apostolus, ut *basis* & fundamentum significet. Quare illius verba ἐποιηθεῖσα τὰς πόδας ἡ ἐπιμασία εὐαγγελία τῆς εἰρήνης vertenda sunt, *calceati pedes fundamento seu basi evangelii patris*. Verbum enim ἐποιηθεῖσα τὸν respondet, quod non tantum parare, præparare, sed etiam firmare, stabilitate notat: hinc ἐπιμασία est ημῶν, quod *basis* & *fundamentum* notat. Conf. Ant. Bynæus in eruditissimo opere de calceis Hebræorum lib. I. cap. 5. Non lubet hic recensendis variantibus interpretum sententiis immorari. Observamus tantum ἐπιμασία usitate denotare promptitudinem & alacritatem, & promptum ac paratum animum ἐπιμασίας καρδίας. In



Nov. Test. in concreto aliquoties occurrit, ut Tit. III, 1.  
*Suggere ipsis ad omne opus bonum (in ipsac eis) parati ut  
 sint.* Et Luc. XXII, 33. Petrus ait: *Domine, eruuisti eum,  
 paratus sum tecum ē in carcerem ē ad mortem proficisci.*  
 Conf. Act. XXI, 13.

## §. 30.

*Pedes* vero in Scriptura s̄epius designant voluntatem & affectus, quia, ut Flacius ait in Cl. S. *sicut pes instrumentum motus est, ita hæc sunt initia actionum.* Ex voluntatis enim conditione, tanquam interno principio, censentur actiones quælibet. Evangelium autem tanquam dīvī apud, ḡḡ Rom. I, 16. hunc effectum præstat, ut alacrem, promtum ac paratum ad obsequium Dei reddat animum hominis, per agnitionem divinorum beneficiorum. Sicuti enim per verbum evangelii in conversione hominis peccatoris, voluntas fletitur & gratia supernaturalis eidem conferitur: ita etiam in renovationis & sanctificationis negotio, medium est efficax, quod gratiam illam inhabitantem & regentem Rom. VIII, 9. 14. conservat & auget. Dicitur *evangelium pacis*, quia viam monstrat & aperit pacem ineundi cum Deo, eandemque in nobis & inter nosmet ipsos retinendi. *Hec est via illa nova ē via* quam Epistola ad Hebraeos describit cap. X, 19. 20. 21. 22. 23. Et ipse Christus ait Joh. XIV, 6. *Ego sum via illa.* Quoniam in via sumus, inquit Augustinus de Doct. Christ. I, cap. XVII. nec via ista locorum est, sed affectuum, quam intercludebant quasi septa quædam sp̄nosa, pr̄eteritorum malitiæ peccatorum: quid liberalius ē misericordius facere potuit, qui se ipsum nobis, quo



quo rediremus , subfternere voluit . nisi ut omnia donaret  
 peccata conversis , & graviter fixa interdicta redditus  
 nostri , pro nobis crucifixus evelleret . In hac via nos  
 promovent ocreæ evangelicæ præparationis . Hinc  
 oritur sensus pacis & gaudii in Spiritu S. Rom. XIV. In-  
 de libertas & spiritus spontaneus , ut non ex coactio-  
 ne legali , sed pleno hilaritatis obsequio ad agendum  
 & patiendum nos componamus . *Hæc agnitus* , scribit  
 Lutherus in Praef. Ep. ad Rom. *divinæ gratiæ & cle-  
 mentiæ letos , animosos , alacres efficit , cum erga Deum ,*  
*tum erga omnes creatureas : quam lætitiam & alacrita-  
 tum Spiritus S. excitat per fidem . Inde homo sine ulla  
 coactione promptus & alacris redditur , ut omnibus be-  
 neficiat , omnibus inseruiat , omnia toleret ; idque in ho-  
 norem & laudem Dei pro ea gratia , qua Dominus eum  
 prosecutus est .*

## §. 31.

Etenim præparatio hæc evangelica sicut juvat  
 & requiritur *ad agendum* , ita etiam *ad patiendum* .  
 Adhibebant veteres calceamenta illa militaria ut pe-  
 des & crura defendenterentur , ne gladiis aut spiculis vul-  
 nerarentur : præsertim ne à sudibus aut occultis cu-  
 spidibus , in viis , campis & foveis , ubi exercitus  
 transire oportebat , ( conf. lib. Judith. cap. V. i.) læde-  
 rentur . Quod ergo militibus olim contra id genus  
 offendicula , ocreæ & pedum munimenta præstite-  
 runt : id ex evangelio obtinemus præsidii , ut per  
 spinas , sentes & tribulos , per mala & adversa quævis ,  
 quæ militantem ecclesiam circumstant , transire , ea-  
 demque patienter ferre valeamus . Unde hæc virtus



inter ὄπλα arma refertur à D. Petro I. Ep. c. IV. v. i.  
*Cum itaque Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini, ἵνα λιτόν θεον.* Qua quidem ubi mens armata fuerit ex evangelio, & constanti patientis Christi devota contemplatione, ardua quævis non modo tolerare, sed vincere poterit ac superare, imo ~~περιπέτειαν~~ Rom. IX. Inepti sunt ad militare labores & tædia molles & delicatuli. Hinc Paulus Timotheo suo scribit Ep. II, 3. conf. IV, 5. *Esto tu malorum tolerans, ut bonus miles Jesu Christi.* Neque vero Timotheos suos solummodo per aspera & fragora ducere solet summus Imperator noster; sed & omnes castra ejus sequentes sortem acerrimam sæpe experiri necesse habent. Quos ideo Crucianos merito appellavit B. Lutherus noster,

§. 32.

Scutum  
fidei.

In reliquis armorum generibus ante omnia & super omnia scutum fidei, commendat Apostolus v. 16. inquiens: ἐπὶ πάσῃ ἀναλαβόντες τὸν ἡγεμὸν Ἰησοῦν πίστεως. Ut eo rectius intelligatur analogia quæ est fidem inter & scutum; hujus etymologiam, figuram, materiam & usum paucis cognoscere operæ pretium erit. Ut Hebræorum ɪδιῷ a verbo ἔπειτα προτεξit & περιποτάνης circuitvit, ita latin. *clypeus* απὸ τῆς καλύψης à tegendo derivatur vel απὸ τῆς γλυφειᾶς à sculpendo, quod cælaturis & insignibus variis olim exornare soliti sint clypeos. Hinc Plinius lib. XXXV, cap. 3. *Scutis continebantur imagines, unde et nomen habuere clypearum.* Iudeus autem à Ιησοῦ janua cuius formam referebat. *Scutum à σκύλος corium, quod corio olim clypeos & scuta induxerint.*

vid,



vid. Lyd. in Synt. pag. 68. qui cum Franc. Junio censet, Anglorum *buceler*, Gallorum *bouclier*, Belgarum *bokeler* vel *beuckeler* (quæ voces *clypeum* designant) dici quasi *bockenleer* id est *corium* sive *pellis birci*. Quod autem corio industi fuerint *clypei*, ex autoribus græcis æque ac latinis abunde patet. Erant autem prisca græcis æque ac barbaris varia scutorum genera, magna & parva, quæ aliam atque aliam cum figuram tum materiam habebant, non solum necessitatis, & utilitatis, sed saepe etiam ornatus causa. In usu cum primis fuerunt *rotunda* & *longa*. Illa proprie *clypeos*, hæc *scuta* appellare consueverunt Romani. Hinc intelligendus Livius Lib. VII. *Clypeis* antea Romani usi sunt, postquam *stipendiarii* facti sunt *scuta* pro *clypeis* fecere. Tantæ vero magnitudinis fuisse *scuta* illa oblonga testatur idem autor lib. XLIV. ut milites stantes, capite super marginem ejus posito, dormire sint soliti. Unde Josephus l. 3. Excid. Ιωρεὺς ἐπιμήκεις *scuta longa* & Plutarchus in Æmil. Ιωρεὺς ποδίζεις ad *pedes demissa* dicit. Observant quidem hanc differentiam Polybius, Dionysius, Plutarchus, ut *scuta* vocent Ιωρεὺς, inferioris tamen ætatis autores promiscue vocibus illis utuntur.

## §. 33.

Antiquissimis temporibus ex ære conficiebantur *clypei*, ut constat ex Virg. lib. X. Æneid.

— — *Clypeumque ex ære sinistræ  
Subligat.*

Variam autem deinde habuerunt materiam, nec ex uno metallo illos paraverunt, cum ornatus ergo, tum ne graves nimis essent militibus ad gestandum. Ita

Jul.



Jul. Poll. l. i. Onomast. c. X. n. 6. scutum vimineum, scutum ligneum, scutum coriacum, scutum ex pelle bulbula factum, scutum æneum; apud Homerum vero etiam aureum, argenteum & flanneum. Fertur vero Nicias & purpura auroque mixtis decoratis scutum. De lignis, quorum magna durities fuit, materiam scutorum præbentibus vid. Plin. H. N. l. VI. cap. 40. Sicuti vero plerumque ex ferro varioque metallo scuta conficiebantur, ita ad pompam & ornatum à quibusdam populis aurei clypei exhibiti; quod idem autor de Pœnis memorat lib. XXXV. cap. III. Quin & aureos Salomonis clypeos non tam ad militares usus, quam ad splendorem & pompam conflatos fuisse apparet ex l. Reg. X. 16. Cæterum superè scutum Romano more usurpatum describit Polybius lib. VI. Histor. c. 21. quem latine loquentem hic audire lubet: scutum cuius latitudo est in gibba superficie duorum pedum & semis: longitudo pedum quatuor. Majus vero etiam palma præterea excedit: est ex duplice tabulatione, taurino glutine cum linteo compactum. De hinc vituli bovisque corio tegitur exteriorem superficiem. Habet in curvatura circa superam inferamq[ue] partem ferreum munimentum, quo & contra idus ensium defenditur, & contra inclinationes aut depositiones in terram. Aptatur illi & ferreus umbo, qui vehementiores idus avertit lapidum & sarissarum, & universo violenti ejusque telij.

S. 34.

Ad hujusmodi *Iugae* scutum magnum & oblongum apostolum hic respicere existimamus. Quod enim



enim galea capiti, quod lorica pectori, id tale scutum universo præstat corpori. Sic & fides totam animam protegit, quoties eam varie impeti contingat. Fidem hic intelligimus non quæ creditur, sed qua creditur: neque etiam fidem principiorum seu dogmaticam, sed salutarem. Fides hæc fertur in apprehendendum Christi meritum, estque affectus cordis supernaturalis, quo de gratia DEI & cunctis promissionibus in Christo certi ac securi, adversus mala quævis munimur. Non alia quidem ratione fides justificat, nisi quatenus justitiam illam, propter quam justificamur, apprehendit. Hæc autem justitia est in solo Christo, qui factus est pro nobis peccatum, ut nos in ipso essemus justitia. *Formale fidei justificantis*, inquit B. Chemnitius L. Theol. de Justif. fol. 299. secundum phrasin Scripturæ, est apprehensio, acceptio, seu applicatio promissionis gratiæ. Non autem hoc tantum Scriptura de fide prædicat, verum etiam describit, quomodo & quibus motibus fiat illa apprehensio & applicatio. Etsi ergo inter actus fidei aliquis præcipuus sit, in quo ipsam ejus essentiam & formalem rationem, quatenus nos justificat & cum Christo conjungit, statuamus, plura tamen in se complectitur fides, nec sub uno aliquo conceptu universum ejus ambitum distincte satis comprehendere possumus. Quæ quidem omnia ad fidei qualitates, ad veram & vivam ejus praxin pertinentia, ex Scriptura probe cognita atque explorata esse debent, ne quis vel in securitatem, vel hypocrisim prolabatur, & pro firme & solido scuto fidei, imaginari um tantummodo, & vanam de gratia Dei persuasio-

E

nem



nem temere amplectatur. Neque tamen a strenua clypei hujus usurpatione quenquam absterrere debet, quoties languidam suam fidem, & non per omnia cum descriptione veræ & vivæ fidei convenientem, comprehendat. Neque est cur nimiis circa hoc negotium fluctuationibus excrucientur afflita animæ, quæ plerumque ex sensu amoris divini & salutis πληροφορία, de veritate ac sinceritate fidei suæ judicare solent.

## §. 35.

Sed pergitus in eruenda similitudine. Materia scuti ex duriſimo & firmiſimo metallo, quale est æs, denotat firmitatem fidei. Quod enim stabile est & firmiter perdurat, hoc ære perennius dicere solemus. Fides in ſuo conceptu & praxi involvit non ſolum cognitionem quandam, ſed firmum quoque affenſum & fiduciā, ut animus à veritate agnita neutiquam ſe dimoveri patiatur, quicquid reponat ή φρόνημα Ἰησοῦς ταρχός, quicquid ogganiant ſeductores. Hanc fidei πληροφορίαν vocat Apoſtoliſ Rom. IV. 21. & alibi. conf. Heb. X. 22. De qua voce id modo obſervamus, quod Hesychius eandem explicet per θεβαὶ ſirmitatem, atque ita πληροφορίαν πίτεως idem eſſe ac σερέμημα Ἰησοῦς χριſτὸν πίτεως Col. II. 2. 4. Pertinet huc etiam vocabulum ποσιστώς quod de fide uſurpatur. Heb. XI. 1. Inter alia autem hæc vox denotat ſubſtantiam ſive constantiam, impetus hostiles immore excipientem, iisque ne latum unguem cedentem. Sic Polybius ait in descriptione Horatii Coclitis: metuebant σχέδιον δύναμιν ὡς ἡνὶ ὑπέτασσον αὐτῷ non tam robur quam constantiam ipſius: & Plutarchus in Demetr.

x̄derōs



εἰδεν δὲ οὐ φίσι μάθεται εἰς εὐαγγελίων, αὐτὸν δὲ φίσι γονίων. *Nemine hostium subsidente, sed fugientibus cunctis.* Ob firmitatem hanc certissimam assensus qui in fide est, vocatur etiam d. l. fides ἐλεγχός eorum quia non videntur. Etsi vero haec in praxi non semper conspicua fiant & sepe exerant, sed ex infirmitate carnis deliquum fidei sæpe oriri possit: tanta tamen firmitas scuto fidei inest, ut mediante illo fideles, quam diu in statu manent nec gratiam prorsus excutiunt, cunctas tentationes & insultus hostium sustinere & superare valeant.

## §. 36.

Veteribus grande crimen erat in bello *clypeum abjicere*: Tacitus de Mor. Germ. cap. 6. ait: *scutum reliquise precipuum flagitium & Isocrates in Orat. de pace, infames fuisse habitos, qui clypeum abjecissent, Græcorum legibus non quiensem aut lanceam, sed qui clypeum amiserant, multatos esse tradit Stewe ch. ad Veget. lib. II. cap. 14.* Imo capitale apud illos erat, si quis scutum in acie amisisset. Notum est de Epaninonda, quod moriens interrogaverit: *an clypeus salvus esset?* De Lacedæmoniis tradit Plutarchus in Apophthegm. Lacon. quod Archilochum Poëtam in exilium miserint, ob carmen in quo suadere visus, satius esse clypeum quam vitam in acie amittere. Sacrum fidei clypeum vita contra cariorem habere, & sollicite custodire debemus. In summi Imperatoris nostri castris satius est hanc vitam amittere, quam fidei clypeum. Quomodo comparituri in conspectu DEI & Christi? quid responsuri πιψασπιᾶς? Etiam

E 3

atque



atque etiam hunc clypeum conservare jubet Apostolus ad Hebr. X. 35. scribens: μὴ ἀποβαλλέτε αὐτὸν παρέπονταν ὑμῶν. Dixerat enim versu anteced. 32. πολλὴν ΛΘΛΗΣΙΝ ὑπεμένατε τηθημάτων. Per parthesiam autem intelligitur illa fidei, de qua frequenter Paulo sermone est.

## §. 37.

Sicuti vero in bello olim maxima clypeorum erat necessitas atque utilitas; ita etiam singularis ordinatus in illis conspiciebatur. Habebant namque varias inscriptiones, ἐπηρεαφάς, ut vocat Plutarchus in Demosth. nec non imagines insculptas, ut fulmina, aquilam, caput leonis, draconem, aliaque fortitudinis insignia. Præsertim milites nobiliores majorum suorum effigies & res gestas in scutis suis pingi aut cælari curabant; unde Familiarum insignia nata esse existimat I. Lipsius. Analect. ad Milit. lib. III. dial. 2. De illo Silius lib. XVII.

*Terribilem ostentans clypeum quo Patris ē una  
Cælarat Patrui, spirantes prælia dira  
Effigies.*

Alii nomen imperatoris aut centurionis sui in anteriori facie clypei notatum gestabant. Quod christiani postea sub Imperatoribus christianis militiam gerentes imitati sunt, & nomen Christi clypeis inscripserunt, de quo more vid. Stewe ch. in Comm. ad Veget. lib. II. Hinc Prudent. lib. i. contra Symm.

*Christus purpureum gemmati textus in auro  
Signabat labarum, clypearum insignia, Christus  
Scripserat.*

Fidei nostræ clypeus complectitur nomen summi Impera-



peratoris & salvatoris D. N. J. C. cui per fidem dediti prorsus & mancipati sumus, quique per fidem in cordibus nostris habitat Eph. III. 17. In hoc signo vincimus. In eo salus nostra posita est, quod hunc imperatorem sequimur: quod non diaboli, non nostri, non ullius creaturæ, sed Christi Domini simus.

§. 38.

Cum usus clypei fuerit ut milites adversus tela & sarissas hostiles defenserent, hinc factum ut defensores & protectores *Clypei* dicerentur. Quo nomine Magistratus, Reges & Principes veniunt, utpote quorum est populos sibi subiectos protegere. Hinc Psal. 47. 10. *Deo clypei terræ & Hos. IV. 18. Clypei ejus dederunt ignoramiam.* Sic *Protectorem* vox illa significat Aeschylus Agam. v. 1446.

δύναος γάρ οὐκίν ΛΑΣΠΙΣ ἐμπεὶς θεός τε

*Ille nobis haud parvus CLYPEUS confidentia.* Conf. Jac. Lydii Synt. de re Milit. Lib. III. Cap. V. ubi hæc habet: טַלְיָה dominator à טִמְלָה scuta; atque inde vocabulum Schild deductum arbitror. Et à Chaldaico טַרְטָן Turcarum Imperator Sultan nuncupatur Ec. Hæc appellatio clypei jure transfertur ad DEUM, qui ipse dixit Abrahamo Gen. XV. 1. *Ego sum clypeus tuus.* Et de quo Psalmista gloriatur Psal. VII. 11. *Clypeus meus apud Deum.* Et peculiari ratione in filium Dei, qui se interposuit inter tela iræ divinæ et genus humanum, atque pœnas peccatorum nostrorum tanquam totidem jacula vibranda exceptit, ut sub hoc clypeo tuti sint quotquot eum induerunt, eoque Rege æterno & Protectore gaudeant.



*Tela igni-  
tis Satana.* Hoc est scutum illud quod tuto opponitur injec-  
tionibus diaboli & cunctis temptationibus, quas *tela  
ignita* h. l. vocat Apostolus. Græca vox βίλη est latissi-  
mæ significationis, dicta à projiciendo & emitendo,  
denotat τὸν ἔβαλλομενον teste Hesych. in Lexic. omnia  
arma quibus hostes eminus læduntur, qualia sunt ja-  
cula, faces, lanceæ, sagittæ, spicula, fundæ, lapides, de  
quibus prolixe cognosci potest è Lipsii Poliorcet.  
Lib. IV. Dial. 4. & 6. Quo etiam pertinuit olim usus  
ignium ejaculatorum è manu, de quibus Suidas in vo-  
ce Σκυλαλίδει. Sive ergo hic metaphora sumta, ab in-  
strumentis hujusmodi ignem jaculantibus, de quibus  
Statius

*Spiculaque & multa crinitum missile flamma,*  
sive à sagittis venenatis, quæ simulac vulnerarant, præ  
ardore toxicæ subito totum sanguinem penetrabant &  
incendebant. Quodsi ergo infernalis ille hostis πύρωσι  
ut Petrus vocat, i. Ep. c. IV. 12. efficiat, & suas ignitas  
temptationes injiciat, fides instar scuti est opponenda, ut  
resiliant ejus tela & extinguantur. Cum reliquis vir-  
tutibus ita comparatum est, ut quælibet earum suo  
opposito vitio medeatur, & alia Spiritus dona qui-  
busdam malis obviam eant; sola fides omnibus extin-  
guendis sufficit, ut vel plane non penetrent sed extin-  
guantur, priusquam cor proprius attingant, vel ubi  
mens iis sauciata fuerit, mediante Christi sanguine  
iterum sanetur: sicut ardorem à venenatis rebus exci-  
tatum alexipharmacæ vel alia antidota imminuunt &  
tollunt.



Quanta efficacia polleat hoc scutum fidei in sustinendis persecutionibus & calamitatibus hujus vitæ, cum primis testatur caput X. epistolæ ad Hebræos. Sed & alia tela repellere valet fidei scutum. Neminem serpentis ignei morsus lethaliter vulnerare poterunt, qui æneum serpentem, qui Christum fide apprehendit & intuetur. Est hoc quotidianum Christianorum officium diaboli insultus & temptationum ictus fidei scuto fortiter reprimere: juxta D. Jacobi monitum: *Resistite diabolo & fugiet a vobis Cap. IV. 7. & Petri I. Ep. V. 8. 9. Adversarius ille vester, ut leo rugiens obambulat quærens quem devoret: cui resistite firmi per fidem.* Quod si tela ejus omnium ardentissima experiantur, injectiones scilicet diabolicas & horrendas, nostram inde accipere possunt nullam, quandoquidem satis firmo muniti & instructi sunt scuto, fide scilicet in illum, qui ideo patefactus est, ut dissolvat opera satanæ. Joh. III. 8. Quo volente tandem desævire & remittere coguntur istiusmodi procellæ.

Capiti integumentum securitatemque præbebat Galea sa-  
Galea, περιφαλαία dicta h. l. & I. Thess. V. 8. Quæ lutis.  
quidem verticem, occiput, frontem & ex parte genas, interdum vero etiam totam faciem præter oculos ad collum usq[ue] tegebant. Conf. C. Barth. Advers. lib. XXII. Cap. 14. Cum primis vero insignes & maxime celebres erant galeæ Græcanicæ, & in his Bœotiae. Hinc ab Æliano V.H.I. Ill.c.24. ut optima laudantur: Bœotiae galeæ, clypeus Argolicus, & Attica lorica. Et emi-  
nuisse



nuisse Græcorum studium circa galeas testatur Plutarchus in Vita T. Q. Flaminii: Xenophon de re equi; Philostr. Epist. p. 893. Conficiebantur autem antiquitus è corio variorum animalium & erant vulpinæ, leoninæ, pardalinæ, mustellinæ, caninæ, taurinæ, cœu ex Homero aliisque autoribus ostendit J. Phil. Pfeifferus Antiq. Græc. Gentil. lib. III. cap. 21. Hoc tamen corium ferro inductum fuisse per lineas & circulos tradit Lipsius de Milit. Rom. lib. III. Sed & *æreas galeas* in usu fuisse testis est Plutarchus qui de Camillo dicit: *Fabricatus est galeas, plerasque totas ferreas, ut gladii aut laberentur, aut frangerentur in iis.*

## §. 42,

Scite ergo galeæ tanquam firmo capitum integrum assimilat apostolus *spem salutis*, uti ab ipso explicatur 1. Thess. V. 8. Ubi alludere videtur ad locum Es. LIX. 17. *Indutus est justitia quasi lorica & galea salutis in capite ejus.* Quemadmodum enim galea munit ac tuetur præcipuum corporis partem, ubi sedes est & principium nervorum, unde spiritus vitales in omnia corporis membra descendunt & diffunduntur: ita spes christiana vivida & florens, interni hominis vigorem conservat & auget. Nec ullo in casu pudescat, quoniam fundatur in charitate Dei in corde effusa Rom. V. 4. 5. qua certior redditus animus, spem magis magisque stabiliri & confirmari sentit. ibid. v. 2. 3. Ungebantur olim ut reliqua arma ita & galeæ, ut tanto magis essent durabiles & ictus sustinere diutius possent: ita quoque effusio ista Spiritus S. quæ oleo saepè in Scriptura comparatur, spem christianam efficit & reddit



redit firmam atque solidam. Et in eo haec differt à vana illa præsumtione, qua improbi & securi homines æternam salutem sibi temere pollicentur, cum tamen ordinem divinitus præscriptum insuper habeant, quæ spes mortua, imaginaria & falsa est.

§. 43.

Habebant autem veterum galeæ diversas formas & varios ornatus. *Æreas galeas insignibus cristiſſis & pinnis exornatas dicit Dionys. Halicarnass. Ρωμαῖοι. Ἀρχαιολ. lib. VII. Hinc Virg. l. III. Æneid.*

*Et conum insignis galeæ, cristaſque comantes.*

Scilicet curvaturæ seu coni superne illis inerant, his addebantur cristaæ, quæ vel ab equinis, vel leoninis jubis, vel avium plumis desumebantur. Unde Virg. l. X, An,

*Ærecaput fulgens, cristaſque hirsutus equina, & alibi  
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ.*

& Homerus Iliad. f. V. 336.

Κεφάλη δέ σπέρα μεταξύ τοῦ κυνηγοῦ καὶ τοῦ περθέντος  
πίπτειν, δεινόν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔτενετ.

Capiti autem fortem galeam affabre factam imposuit  
Caula equinæ cristaſtam. Horribiliter autem crista de-  
super nutabat.

Quod quidem fecerunt non tantum ornatus causa, sed & ut eo terribiliores & animosiores apparerent. Ita cristaſis galeis corusci Romani, vibrantes clypeos, velut pedis anapæſi præcentibus modulis, lenius procedebant, referente Ammian. Marcell. l. XXV. Ut incessus iste militaris alti spiritus, & hostem elata fronte despicientis animi, erat indicium: ita illis qui Christo militant, galea salutis & divina virtus ani-

F

mum

mum erigit & in sublime tollit, ut laeti & animosi hostibus obviam procedant. Videas s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> improbos ex vana & levi causa cristas erigere, supercilia & cornua attollere: multo magis illis, qui omnipotenti Deo innituntur & spe salutis coronati sunt, plerophoria fiduciae competit, ut nulla alia nec nomina nec numina curent, sive adversa sive propitia, quae ipsis tanta bona invident. *Spes* namque intime connexa est cum *fiducia*. Atque h<sup>a</sup>c quidem in *praesentia*, illa in *futura bona*, cœlestia maxime, fertur.

Insignes olim erant & præ reliquis in magnam altitudinem assurgebant regum, ducum & militum nobiliorum galeæ. Quos & pavoninas gestasse docet Ursinus in Analect. lib. III. cap. 22. Ita Achillis galea, stellarum instar fulgebat, equina terrificante juba. Hom. Iliad. 19. De tali loquitur Sidonius in Panegyr. Avito scripto:

*Includit furas ocreis, capitique micantem  
Imponit galeam, fulvis cui crescit in altum  
Conus, Giratam jaculatur vertice lucem:*

*Spes* illa *viva* 1. Pet. I. 3. ad quam regenerantur fideles, reges & sacerdotes constituendi coram Deo, Apoc. I. 6. erigit animum & in sublime vehit, ut præcipue salus cœlestis illi obversetur, quam spes intuetur, & vocatur ideo *spes gloriae* Rom. V. 2. *spes salutis* 1. Thess. V. 8. *vite eterne* Tit. III. 7. H<sup>a</sup>c spes simulac efflorescit, spes & desideria terrena sensim evanelcunt, atque efficit, ut difficultates & molestias in via salutis non solum toleret homo, sed & superet ac transcendat, ne-

que



que in diffidentia crimen aut desperationem eundem prolabi sinit. Quin potius in infirmitate ex potentia Dei semper est efficax & incrementa sumit, ita ut gloriari queamus super spe glorie Dei Rom. V. 4. neque hac spe unquam excidamus. Nam, ad hoc sunt christiani ut praesentia superent, & futura sperent, inquit Augustinus in Psal. XC.

## §. 45.

Cum hoc usque ab Apostolo arma recensita sint Machæram  
ad tegendum; nunc quoque ad petendum commendatur <sup>Machæra</sup>  
<sup>Spiritus.</sup> μάχαιρα πενίατος ὁ ἐστι πένητα θεοῦ v. 17. Machæram græco vocabulo etiam latini vocarunt gladium minus longum, leviter incurvatum, & falcis formam ex parte referentem, prout occurrit apud Sveton. V. 15. Hujusmodi gladii latiores, quibus cominus hostem ferire licebat, præcipua erant militiae instrumenta, & eximius olim in bello eorum usus. Unde Lucanus Lib. VIII.

*Enfis habet vires, & gens quæcunque virorum est.  
Bella gerit gladiis.*  
Quam eleganter Apostolus verbum Dei appellat machæram Spiritus, fuse & minutum ostendi posset, si otium & instituti ratio id nunc pateretur. Sed jam quidem de tam amplio arguento unum alterum, ve attulisse contenti erimus. A veteribus haud raro pro universo belli apparatu, omnique armorum genere usurpatur gladius, quoniam ejus usus omnium familiarissimus militibus esse debuit; adeo quidem ut ubi ubi essent, sive laborarent sive comedenter, nunquam ipsum deponere licuerit. vid. Veget lib. III, cap. 8. sicuti



hodienum milites nonnisi gladio accincti in publico comparere solent. Christianis militibus ex assidua lectione & nocturna atque diurna meditatione familiare esse debet verbum Dei s. Scriptura. Hæc ipsis est instar armamentarii, ubi omnis generis arma reperiunt, quibus & defensive & offensive uti queant.

## §. 46.

Ipse Dux nostræ militiae cum in deserto adversus tentatorem certamen susciperet, hanc machæram arripiebat, eique opponebat illud *scriptum est*, idque plus vice simplici repetebat Matth. IV. Hoc gladio & nos aggredi, ferire & confodere possumus, hostes tam visibiles quam invisibles, saluti nostræ adversos. *Quando tecum volunt disputare vel satan, vel ejus instrumenta heretici, tunc objice eis textus Scripturæ, & desere eos, dicens; ca villationes tuas audire nolo; hoc enim dicit sandus, qui me monuit, ut audirem & inclinarem aurem:* inquit B. Lutherus noster Tom. III. Lat. in Psal. 45. *Contra armis quoque & evanescere* hoc telum strenue vibrandum, iisque verbi divini majestas est demonstranda. His omnes divinitatis ejus notæ ob oculos ponendæ. Quem enim profundum, majesticum & illud Deo maxime conveniens dictionis genus, illa cum sublimi mixta & ad ingenium populare accommodata simplicitas: quem admiranda illa nostræque religioni utice propria, verbi Dei doctrina: quem reliqua divinitatis ejus critera non commoverent & afficerent, is sane vel cœcus vel stultus sit oporteret. *Quotiescumque vero cum his configendum est, qui ipsi quidem ad gladium illum*

lum provocant & verbi divini autoritatem admittunt, errores tamen & falsas doctrinas exinde elicere nobisque obtrudere satagunt, non alio modo efficacius repelluntur, quam hoc gladio spiritus & argumentis ex ipsa Scriptura deponit. Alea plenum est opus, in quo pauci tuto versantur, si diversis à verbo Deo rationibus pugnare instituas. Unde non nisi parce & summa adhibita cautela iis utendum. Gladio spiritus autem nodi omnes, quos vel fatalis ignorantia, vel arguta malitia in scirpo quaerit & necit, expedite solvuntur. Dicitur vero machæra *Spiritus*, quoniam à Spiritu S. est profecta & dictata Scriptura, quoniam per operationem Spiritus S. fides divina producitur, & per internum illud Spiritus Dei testimonium à reliquis scriptis humanis cognoscitur, & quia ab eodem Spiritu in Scripturis loquente, certam recipit & infallibilem interpretationem. Hinc scilicet S. Bernardus Serm. ad Fr. de monte Dei: *Quo spiritu sunt facta scriptura, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligenda sunt.*

## §. 47.

Præterea vitia quoque & peccata gladio isto verbi Dei jugulantur atque extirpantur. Frustra sinecum virtutis studium cuiquam persuadebis; nemo vere & ardentiter vitia deseret, pravos affectus domabit, cupiditates coerebit, nisi gladio spiritus eo adigatur. Nam ut Oecumen. scribit ad h. l. *gladium spiritus vel ipsum spiritum periphrastice dixit, propter scindendi & dividendi vim, quam habet erga contrarios afflans.* Præclare hanc verbi Dei efficaciam describit D. Lactan-



tius de fals. Sap. lib. III. cap. 26. ubi ita provocat: *Da  
mibi virum qui sit iracundus, maledicus, effrenatus; pau-  
cissimus Dei verbis, tam placidum quam ovem reddam:  
da cupidum, avarum, tenacem jam tibi eum liberalerem  
dabo.* *Da timidum doloris & mortis, jam cruces &  
Phalaridis taurum contemnet:* *Da libidinosum, adul-  
terum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem vi-  
debis:* *Da crudelē & sanguinis appetentem, jam in-  
veram clementiam furor iste mutabitur:* *Da injustum,  
insipientem, peccatorem, continuo & aequis & prudens  
& innocens erit.* Vivum esse sermonem Dei & effi-  
cacem & quovis gladio ancipiti penetrantiorem(Heb.  
IV,12.) exemplum Augustini, juvenilium peccatorum  
laqueis adhuc irretiti, docere potest, quod ipse narrat  
Confess. lib. IX. cap. ult. Is post auditam vocem,  
*tolle, lege:* assumens codicem N. T. & illa verba cap.  
XIV. epistolæ ad Romanos legens: *Non in com-  
missionibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impu-  
dicitiis & reliqua: non ultra, inquit, volui legere,,*  
nec opus erat; statim quippe cum fine hujus sen-  
tentiae, quasi luce securitatis infusa cordi meo,,  
omnes dubitationis tenebrae diffugerunt. Et cap.I.,  
lib.IX. pergit: quam suave mihi subito factum est,,  
carere suavitatibus nugarum & quas amittere me,,  
tus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas,,  
enim eas à me vera Tu & summa suavitas, ejicie-,,  
bas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior &c.,  
Ita salutariter vulneratus hac machæra Spiritus erat  
Augustinus, & post dolorem ex peccato acerrimum,  
pacem conscientiæ incredibilem sensit, & perswasio-  
nem



nem imis defixam radicibus. Quam cœlestis doctrinæ efficaciam ipse postea ita celebravit: *Leguntur verba pectorum & colla subduntur oratorum.* de Verb. Dom. Serm. LIX.

## §. 48.

Etenim quem gladius ille Spiritus Dei pupugit, is modo peccatorum mole dejecitus, ex imo pectori gemitus ciet inenarrabiles: modo beatæ æternitatis fiducia plenus tacita voluptate perfundetur, cuius tantam esse præstantiam, ut omnem intellectum supereret, Apostolus docet Phil. IV, 7. Quæ quidem commotiones cum plane diversæ sint ab iis, quæ via naturali concitantur, neque ex unione corporis & animæ ori-ri queant, minime dubitandum, quin altius quoddam principium habeant, ipsum nimirum Spiritum S. ejusque machæram verbum Dei. Experientia unum quemque omnium optime docere valer, quantam lætitiam sermones Dei afflictæ afferant conscientiæ. Quemadmodum Lutherus de se testatur in præf. Tom. I. Jen. postquam ardenter desiderio pulsaverat „ Paulum in loco ad Rom. I. y. 17. Hic me, inquit, „ prorsus renatum esse sensi, & apertis portis in ipsum „ Paradisum intrasse. Ibi continuo alia mihi facies to- „ tius Scripturæ apparuit &c. Quin & contra omnes tam animi quam corporis dolores, præsentissimum ex S. Scripturæ lectione remedium invenimus. Ideo-que ad hanc arcem munitissimam confugere, in cunctis ærumnosæ hujus vitæ anxietatibus, indeque nos defendere poterimus. Quæ enim ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt, ut per toleran-  
tiam



\* (48) \*

tiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.  
Rom. XV, 4. Quæcum ita sint merito in Academia  
sequimur Lutheri nostri consilium, & vaginam illam,  
in qua reconditum dicit gladium spiritus, scilicet linguas  
originales, ut vocant, sedulo tractamus, ut evagina-  
re illum ubi opus fuerit, & strenue vibrare valea-  
mus. Verendum minime est, ne quod studii & in-  
dustriæ in Scripturam contulerimus, nobis pereat  
irritum. Illam ergo manu diurna & nocturna tera-  
mus, ei nos totos dedamus, in ea unice acquiesca-  
mus. Sint scripturæ semper in manibus divinæ, & ju-  
giter mente volvantur, juxta consilium D. Hieron.  
Ep. IV. ad Celant.

S. 49.

Precum  
studium,

Primaria & postrema armatura est assidua ar-  
densque precatio, qua omnem opem atque victoriam  
à Deo impetramus & omnes hostes superamus. Qua-  
propter universæ huic armaturæ necessarium de pre-  
cibus monitum subjungit Apostolus: ἢ. 18. Καὶ τάνες  
προσκύνεται δέσμως προσκύνεται ταῦτα καὶ πιθανά:  
In quæ verba commentatur Jo. Quistorpius p. 199.  
Tandem ut in bello, ii qui ab hostibus externis pre-  
muntur, per literas sibi à confederatis auxilia pe-  
tunt, qui nec fratribus denegant; ita ultimo loco,  
vult nos in hac spirituali pugna precibus ad Deum,  
Patrem & Christum fratrem nostrum confugere,  
mutuisque nos, qui sumus in Christo fratres, preci-  
bus contra hunc hostem juvare. Precum necessitatem  
veteres gentiles ex lumine naturæ agnovere, ideoque  
ut in reliquis negotiis, ita etiam in bello ad preces  
confu-



confugerunt. Testatur id Plato in Tim. sub init: πάντες δέοι καὶ βερχόντων φεγγίνης μετέχουσιν, οὐπά πάσῃ οἴ-  
μη καὶ συνέχει καὶ μεγάλη περίγυματος θεὸν δὲν καλύπτου. Omnes  
qui mentis quomodocunq; compotes sunt, in operis cuiuslibet vel magni vel parvi principio, in vocare Deum solent  
semper. Neque id obiter & perfunditorie fecerunt,  
sed cum animi intentione, totis viribus & defecato  
corde, καθόντας καὶ καθαρός ut loquitur Hesio-  
dus lib. II. Op. & Dier. v. 334. &. 335. A militi-  
bus olim hunc morem observatum legimus, ut ac-  
cepto signo ad orientem se converterent, Deosque  
venerarentur, de quod vid. Plutarch. in Marcell. Nec  
solum antequam cum hoste congrederentur, sed &  
inter præliandum. Dicitur Appius in medio pugnae,  
inquit Livius lib. X., discrimine, ita ut inter prima  
signa, manibus ad cælum sublatis, conspiceretur, ita  
precatus esse: Bellona si bode nobis victoriam duis,  
ast ego templum tibi vorero. Conf. precatio Hecu-  
bæ apud Homerum lib. IV. Iliad. & alia testimonia  
veterum, Poetarum imprimis & Historicorum, quæ  
hic accumulare supersedemus.

§. 50.

Quodsi gentiles dictante lumine naturæ preci-  
bus tantum tribuerunt, multo magis christiani mi-  
litæ omne præsidium in devota oratione collocare  
debent, juxta præceptum Apostoli: Αἱ γὰρ πάντες φεγγί-  
νης καὶ δεκάτων φεγγίνης χάρακοι. Duas precationum spe-  
cies

G

cicies

cies hic recenset, quarum altera preces ad obtinenda beneficia, spiritualia imprimis, nec non temporalia: altera supplicationes pro averruncandis malis & noxiis, plerumque denotat. Ita Theodore. in I. Tim. II. *προσεύχεσθαι την αγαθὴν*. & Greg. Nyss. tract. II. in Psal. c. 3. *προσεύχεσθαι τὸν Θεόν τῷ τοῦ φερέντω προσευχήν θῶν*; est oratio ad Deum pro re aliqua utili. Et Theophylactus in I. c. ad Tim. Δέντρι την αγαθὴν προσευχήν τοις αποδειγμήσι τούτῳ λυτρών: est supplicatio, quæ offertur pro liberatione à rebus quibusdam tristibus. Quod autem hic additur epitheton *πάντος* omnimodam videtur indicare precationem, privatam æque ac publicam, tam explicitam & vocalem, quam internam & mentalem. De privata & secreta oratione habemus præceptum Domini Match. VI, 6. *Tu cum precaris introito in conclave tuum, et clauso ostio precare Patrem tuum in occulto. Et pater tuus qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo.* Cui quidem orationi certum semper locum querere opus non est. Bene Chrysostomus ad pop: Antioch. homil. 79. *Ubicunque sis ora: templum tu ipse es, ne locum queras.* & Augustinus sent. CCCXXXIII. *In te ora, ita semper age ut Dei templum sis.* Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat. Sicut ergo in omni loco precatio ista fieri potest, ita etiam ēi πατέρι καὶ αὐτῷ sive ut alibi Apostolus loquitur ἀλλαζόμενος & διαπατέρις. I. Thess. V, 17. Heb. XIII, 15. Nilominus etiam stato tempore & publice orandum est, in conventibus christianorum & templis, quæ ideo veteribus *Oratoria dicta sunt.* Conveniens utique



utique est ut una precentur, qui arma conjungunt & unâ militant. *Coimus in cœtum*, inquit Tertull. Apol. l. 39. *& congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes: hæc vis Deo grata est.* Quæ quidem publicarum precum efficacia, non loco tribuenda, sed communioni sanctorum quorum vis unita fortior.

## §. 51.

Vera autem oratio non externis gestibus solum aut nuda verborum prolatione absolvitur, sed ut re-  
cte Damascenus illam describit Orthod. fid. l. 14. est  
*avabat & in wegis in gœv.* *Oratio cordis est non labiorum.* Neque enim verba deprecantis Deus intendit,  
sed orantis cor aspicit. — Bonum est corde semper orare;  
bonum & sono vocis Deum spiritualibus hymnis glori-  
ficare, scribit Isidor. lib. III. de S. B. cap. 3. & Gregorius  
M. XXII. Mor. c. 17. *Vera postulatio est non in oris vo-  
cibus, sed in cordis vocibus, hoc est in sanctis cogitatio-  
nibus.* Nam valentiores voces apud Dei aures non  
faciunt verba, sed desideria. Hujus generis erant pre-  
ces Hannæ 2. Sam. I, 13. quæ Dominum non clamosa pe-  
titione, sed tacite & modeste, intra ipsas pectoris late-  
bras precabatur. Loquebatur prece occulta, sed mani-  
festa fide. Loquebatur non voce sed corde, quia sic  
sciebat Deum audire, qui non vocis sed cordis auditore est:  
quæ eximia sunt S. Cypriani verba Serm. de Orat. Dom.  
Quare etiam Apostolus hic addit *et in vel cum*

G 2

Spiritu

*Spiritu sicut & Jud. v. 20. ἐν πνεύματι ἀγίῳ προσθέχόμενοι  
Ipse enim Spiritus S. una sublevat infirmitates nostras;  
qui quid oremus, ut oportet non novimus: τὸ πνεῦμα  
συναίλαυθάντας τὰς ἀθετίας ἡμῶν. Rom. IIIX, 26. ubi  
magnam emphasis in verbo illo observant interpretes, Pareus, Ludov. de Dieu, Beza & alii. Neque enim nostrarum est virium preces summo Numini placentes fundere, sed donum Dei est *spiritus gratiae & supplicationis*. Zach. XII, 10. Unde Augustinus Ep. 105. *Sine spiritu fidei non est recte quispiam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus.**

## §. 52.

Neque etiam sine Spiritu S. adjutorio præstare valemus quod ulterius requirit Apostolus inquiens: καὶ εἰς  
ἄνθρωπον ἀγενήνης & huic ipsi rei in vigilantes. Frequenter Scriptura hæc duo conjugere solet & inculcare, *vigilate & orate*. Primævi christiani durante persecutionum æstu nocturno tempore conveniebant. De quorum vigiliis Tertullianus in Apologetico testatur, quod ita saturentur, ut qui meminissent etiam per noctem adorandum sibi Deum esse. Cordis vigilia nunquam non opus est christiano militi, qui extra telorum jaustum nuspia degit. Nocentissimum hostem secum ipse perpetuo circumfert, ideoque merito ὡς ἔχθρον ἑαυτὸν φύλασσε καὶ ἐπίθετο, ut inimicum & insidiatorem semetipsum observat, quod vult Epictetus Enchir. cap. 72. *Grandis virtutis est,*  
inquit



inquit Hieron. ep. 8. secum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi centum oculis observare. Et hanc virtutem mediante oratione convenit perpetuo ávarus πνεῦμα ; eandemque vigilantiam inter orandum quoque adhibere. Quod nisi fiat, affectus omnis aberit & cor turpiter divagabitur. Magna sunt arma preces, inquit Chrysostomus hom. 30. in Gen. modo sobrii & undequaque mente nostra collecta Dominum adeamus, totique nitamur ita loqui, ut non solum verba sed & mens verborum comes ad Deum accedat.

## §. 53.

Accedere quoque debet προσκατέσθετος perseverantia. Verbum Græcum προσκατέπειν notat assiduum esse & multum in re aliqua, illiq; cum quadam perseverantia insistere. Et παρπάτεις convenit cum πρατερός à πράτος quod est robur. Quo quis enim majoribus posset viribus, eo diutius in exequendo aliquo opere perdurare potest. Quare vox illa de intensione virium in studio precum, atque perseverantiae exercitio in iisdem, aliquoties in N.T. usurpatur: ut Act. I. 14. VI. 4. Rom. XII. 12. Instare quippe oportet in precibus, μὴ ἐκκακεῖν Luc. XVIII. 1. Nec destituit Deus perseverantium preces, sed suo tempore largitur beneficia sua. Etiamsi non ad nostram voluntatem & votum audiat semper, facit id tamen ad salutem & commodum nostrum. Ad voluntatem exaudiiti sunt Israelitæ, & cum adhuc cibus esset in ore ipsorum; nosfis quæ sequuntur.

G 3

Nolite



*Nolite igitur pro magno habere ad voluntatem exaudi-  
ri, Augustinus scribit in Joh. Tract. VI. Quibus præ-  
clara Chrysostomi verba hom. 17. in Matth. subjungo:  
Ne recedas quousque accipias. Tunc cessa quando acce-  
peris; imo potius nec tunc cesses, sed tunc persevera, a-  
gens gratias pro eo quod accepisti, ut perseveret tibi  
quod acceperis.*

## §. 54.

Ultimo loco in hac pericope ἐντεις περὶ πάντων ἀγίων  
supplicationes pro omnibus sanctis præcipiuntur. Quæ  
quidem non intelligimus de rebus sanctis, ita ut πάντα  
ἄγια idem sit ac πᾶν ἄγιον, adeoque preces ad ob-  
tinendam omnem sanctitatem hic denotentur; sed mens  
Apostoli hæc est, ut pro aliis æque oremus ac pro no-  
bis, præsertim pro sanctis, quos commilitones habe-  
mus. Exigit hoc commune istud vinculum quo san-  
cti inter seunoti sunt, quod magnopere extollit B. Lu-  
therus in Tessaradec. Consol. tom. i. Jen. fol. 473. ubi  
interalia scribit. *Dum ego patior, patior jam non solus,  
patitur mecum Christus, & omnes christiani. Onus meum  
portant alii. Illorum virtus mea est. Fides ecclesiæ meæ  
trepidationi succurrerit. Aliorum jejunia mea lucra sunt.  
Alterius oratio pro me sollicita est. Tanta res est com-  
munio sanctorum & ecclesia Christi. Sic Chrysosto-  
mus lib. 2. de Or. Deo, Age jam, inquit, & illud expo-  
namus, quam multis sanctis datum sit, deprecationis præ-  
sidio*



fido servare, non solum gentes ac civitates, verum etiam orbem universum. In mentione vero deprecationis primus occurrit Paulus, qui per deprecationem ac assiduam observationem omnes gentes salvas fecit, semper illud dicens nobis: hujus rei gratia fredo genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. Nimis autem prolixum foret omnes verarum precum effectus & proprietates hic describere. Dicimus cum Chrysost. Hom. 75. t. 6. πανοπλία ὡς ἀληθῶς εὐράνιος ἡ θεῖα προσευχὴ, καὶ μόνη δύναται φυλάκιον Βεβαίως τῆς δεδωκέτας ταῦθεν. Universa  
Vere & cœlestis armatura, diuinæ preces sunt, eaq; sola eos, qui se Deo consecrarunt, firmiter custodire possunt.

## §. 55.

Quod superest, commilitones, accingamus nos oportet, atque ut utamur strenue divina hac panoplia. Caput tegat spes salutis, pectus justitiæ thorax, lumbi cingantur baltheo veritatis, pedes muniantur ocreis alacritatis, ad ineundam evangelii viam, sinistra teneat scutum fidei, dextera gladium verbi. Ante omnia studium precum nobis sit commendissimum. Precemur! laboremus! militemus! Meditemur solicite quæ ad veram precum indolem requiruntur: cogitemus serio earundem necessitatem atq; efficaciam. Nemo in hoc officio negligens sit unquam, vel remissus. Sic fiet, ut nomen officinæ Spiritus sancti vere mereatur Academia, nosque verum studiorum fructum inde reportemus. Igitur, dilecti,



\* (58) \*

*Ei, sanctissimæ fidei nostræ in ædificantes vosmet ipsos, in  
Spiritu sancto orate, & in charitate Dei vos servate,  
expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in  
vitam æternam, quæ exhortatio est Apostoli Jud.  
20. 21. Obsignamus hæc verbis D. Bernardi, Serm.  
3. in Ded. Eccl. Gravis est nobis inimici tentatio, sed  
longe gravior est illi nostra oratio. Et in medit. devo-  
tiss. cap. 14. Ipse Dominus nos hortatur, ut pugnemus,  
adjuvatur ut vincamus, certantes in bello spectat,  
deficientes sublevat, vincentes  
coronat.*





**E**x PATRE suggestum didicisti scandere solers,  
AGNATI ad cathedram subdocuere viam.  
Partes has geminas præclare sustinuisti

Hactenus, in templis in cathedraque docens,  
Te Numen servat rebus majoribus aptum,

Perque gradus positos altius ibit honos.  
Doctoris quondam gaudebis dignus honore.

Riteq; major eris! Nomen & omen habes.

Clarisimo Viro

S. Theologie Licentiato, Professori,

& Collegæ conjunctissimo,

D.N. RIT MEIERO,

præsentes gratulatus bonores

majores auguratur

Herm. von der Hardt /

Præpos. Mariæb.

Ling. Orient. Prof. P.

h.t. Vice-Rector.

H

Mente

**M**Ente armaturam dum volvis *spiritualēm*  
Theiologum prætas nomine reque bonum:  
Qui dignus templis Musarum & Numinis almi  
*Ductor* erit referens sacra stupenda DEI:  
Et quod adhuc majus, summo sic auctus honore  
*Ductor* erit cœtus haud piger ipse sui.

*Utrumq; non vanus augur  
esse optat*

*T.*

PRAESES.

**R**ITHMEIERE pii vestigia sancta Parentis  
Mature premis, & jam jam superare laboras  
Doctrinæ cultu, & cathedræ splendore. Tiaram  
Ecce tibi spondet venerabilis Ordo docentūm,  
Qui sacra divini pandunt mysteria verbi.  
Instrue nunc SCUTUM FIDEI, GALEAMQUE SA-  
Atque doce GLADIUM divini stringere VERBI (LUTIS,  
Versutas contra diri Cacodæmonis artes,  
Sic tua post vitam hanc cœlesti sede recepti  
Æternus fulgor cendentia tempora cinget.

*OBELISCAT Dn. Collega atq; Affini honoratissimo  
viro et amico*

JOHAN. EISENHART. D.

**A**rma parent alii furioso sacra Gradivo,  
Arma infesta Italæ, Galliæ & Hesperiæ;  
Tu sancta arma Dei, stygioque adversa draconi  
RITHMEIERE opera nobiliore paras.

Exprime



Exalte sic pietate Patrem, maternaque clarum  
Doctrina & fama donet origo decus.

College suo pl. Revd.

f.

J. WERLHOFIUS.

**Q**uid tibi cum bello? cur, thorax quid sit & ensis,  
Quidque ocreæ, galeæ, baltea, scuta, doces?

Terrorem pariunt Marti bene nota feroci

Nomina & hæc ipso pene tremenda sono.

Quas colis ac ornas, sunt mitia numina, Musæ,

Arma harum studiis sunt magis apta tuis.

Sed bene; non sævis armamentaria bellis.

Extruis, hæc tua sunt militis arma sacri.

Certandum est donec victoria lœta sequatur,

Dantur, in his terris, otia rara piis.

Nunc mundi illecebrae nunc instant dæmonis artes,

Nec locus, insidiis qui vacet, ullus erit.

Tu pugnare doces & contra audentius ire,

Quam bene perfecta est pagina sacra tibi!

Quam bene cum græcis studiis sanctissima jungis,

Præstas hoc studio teque in utroque virum.

Hinc tua nunc surgit spatiose fama theatro,

Eximia ac inter nomina nomen habes.

Optat avus, si quis rerum est post funera sensus,

Melleus ingenio, melleus eloquio,

Et genitor spectare diem, quo tanta nepotis

Et nati possent cernere facta sui.

Ille avus Æneas, te & avunculus excitat Hector

Non unus, gentis sidera prima tuæ,

Ut pergas, bene parta semel, decora ampla tueri,

Monstrare & genii dona polita tui.

Id facis, & clares non ultima gloria nostri,

Cujus pars quoque sum quantulacunque, chori,



**A** Rma Virumque canis, veruntamen h̄c ea censes;  
Quæ belli non suscipiuntur, sed pacis ergo,  
Ac pacis haud humanæ, sed mage *spiritualis*;  
Siccine qui cunctis, quas mens humana prehendat,  
Doctrinis polles, quâ sacrīs, quâ profanis;  
Et nosti scitè versuti dæmonis artes  
Excutere immites, ac his opponere tela:  
Armaris titulis, & summos sumis honores.  
Sit faustum, Cognate Tibi precor, hocce brabæum.  
*Officii testandi causa gratulab.*  
*hec apposuit*  
**Georgius Engelbrecht.**

**A** Ntipho qui docuit Germanos *Attica* pridem,  
Et quō surrexit *Gracia Parmenide*:  
Is tibi *Theiologus* prudens, Christique Jehovæ  
Clarus & *Emeritus*, \* Julia, Doctor erit.  
\* RIETTMEJERVS  
anagrammate:  
ERIT EMERITVS.

Hec Maxime Reverendo  
**DN. CHRISTOPHORO HENRICO RIETTMEIERO**,  
Lingua Graca Professori Excellentissimo  
Pro Pileo DOCTORALI

animō DeCorē Coronatō  
accinebat

**JOHANNES AVGUSTINVS FASCHIVS**,  
Poëta Coronatus Cæsareus,  
& I.V.C.

ad 32.

ad 32.



EO.-Beg. 2002

01 A 6727

ULB Halle  
003 104 745

3



WA

R. ho



DIS



# ARMATVRA SPIRITVALI

EX EPIST. AD EPHES. CAP. VI. VERS. X. ET SEQ.

QVAM

AVSPICIO DIVINO

EX DECRETO VENERANDI COLLEGII THEOLOGICI  
IN ILLVSTRI ACADEMIA JVLLIA

PRÆSIDE

SVMME VENERABILI VIRO

**DN. JO. ANDREA SCHMIDT**

ABBATE MARIÆVALLensi


S. THEOL. DOCTORE EJVSQVE ORDINARIO  
PROFESSORE ORDINIS SVI SENIORE ET HODIE  
DECANO

PRO LICENTIA

GRADVM ET PRIVILEGIA DOCTORIS THEOLOGI

RITE CONSEQVENDI

AD DISPVTA NDVM P. P.



ipse Romanus alto corde suspirans diu gemitu querelam traxit, quod & illis qui lingua carent adhuc reliquum est. Non quidem ignoramus Phytoniorum sive γαστρομόδιων ventiloquorum loquelas, ex ventris cavitate absque lingvæ motu & labiorum productam, quæ in circumforaneis & aliis observata fuit. Imo etiam in exstasi constitutos novimus, qui, cessantibus externorum organorum operationibus, ex imo gutture sermonem lenem profuderunt. Sed hæc talia nec in Romano nec in aliis confessoribus locum habuerunt, cum in illis nec murmur ventris fuerit, nec levis ex gutture sonus, sed vox articulata ex ore prorumpens Tyrannique aures feriens, quæ eundem movit de medici peritia dubitare. Recte igitur Romanus Asclepiadi objicit numinis divini hanc esse potentiam, quæ, uno licet instrumento sublato, adhuc residua ad finem destinare & elevare potest.

## §. XVII.

Qemadmodum vero ultra vires naturæ loquendi facultas elinguatis hisce collata fuit, ita non minus divina virtute effectum est, ut eadem privarentur rursus mortalibus peccatis inquinati. Evagrius l. c. id diserte tradidit: *Ex quibus inquit duos lapsos esse Procopius scribit*

*Nam quoniam cum mulieribus commixti sunt amiserunt, martyrii gratia protinus non habitabat gratia Domini i scortationum!*

(o)



ad 32

